This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

PA
8555
.M6.R39

STANFORD
LIBRARIES

REICHLING
DE IOANNIS MURMELLI
VITA ET SCRIPTIS
COMMENTATIO
LITERARIA

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES

Franz Reinsch

DE

IOANNIS MURMELLII

VITA ET SCRIPTIS

COMMENTATIO LITERARIA.

SCRIPSIT

Dr. THEODORICUS REICHLING.

MONASTERII.

APUD ADOLPHUM RUSSELL.

MDCCCLXX.

Reichling, Dietrich

DE

IOANNIS MURMELLII

VITA ET SCRIPTIS

COMMENTATIO LITERARIA.

SCRIPSIT

Dr. THEODORICUS REICHLING.

MONASTERII.

APUD ADOLPHUM RUSSELL.

MDCCCLXX.

PA 8555
M6 R39

VIRO

ILLUSTRISSIMO HUMANISSIMO

FRANCISCO DE OLFERS

MONASTERIENSI

S.

Quo graviore tristitia nos vastatio afficit urbi Monasterio horrida anabaptistarum furoribus illata, eo libentius animus noster in illorum temporum memoriam revocatur, quibus antiquarum literarum studium Rudolphi de Langen opera et auctoritate introductum est in hanc urbem ac laetissimis auspiciis brevi ita effloruit, ut in literarum et humanitatis historia haud exiguus illi locus munitus sit. Illi vero viri, qui Rudolpho de Langen duce et patrono optimo Monasterii tam felici successu antiquitatis studia propagarunt, nostro tempore parum noti sunt. Imprimis autem ille vir dignus est, cuius memoria renovetur, quem optimo iure Cornelius[1]) splendidissimum scholae Monasteriensis lumen nominavit: Joannes Murmellius Ruremundensis. Qua re adducti in huius humanistae[2]) vita ac de literis meritis describendis operam curamque ponere animum induximus.

Ac primum quidem aliqua ex parte studiose accurateque de vita et scriptis Murmellii exposuit Hamelmannus[3]), cuius operibus vita partim ex Gessneri et Simleri scriptis congesta et praeterea multae annotationes dispersae continentur. Qui cum paullo post anabaptistarum tempora atrocia in ea urbe, ubi Murmellius tantam sibi gloriam comparavit, primos

---

[1]) Die Münsterschen Humanisten, Münster 1851, p. 8.

[2]) Sit venia verbo.

[3]) Hamelmanni opera genealogico-historica ed. Ernest. Casim. Wasserbach, Lemgoviae 1711.

annos egisset, res quales tum ibi fuerint, ipse cognoscere et percipere potuit. Cuius studio in congerendis rebus, imprimis quae ad Westphaliam spectant, posito sine controversia omnis laus tribuenda est. Sed tamen postquam nostris diebus Winiewski[1]), Cornelius[2]), Heidemann[3]), Kampschulte[4]), Liessem[5]), Parmet[6]) auctoritatem ac fidem, quam diu obtinuerat quasi sacrosanctam, multa ab eo tradita redarguentes refellentesque non mediocriter labefactarunt, ea quoque, quae de Murmellio memoriae tradidit, accuratissime examinanda ac ponderanda esse nemo negabit.

Qui post Hamelmannum Murmellii mentionem fecerunt: Burckhard[7]), Jöcher[8]), Driver[9]), in illis paucis quas proponunt rebus omnino Hamelmannum secuti sunt, quin immo ne hunc quidem auctorem satis studiose perlegerunt. Ex recentioribus autem scriptoribus nominandi sunt Niesert[10]) et Rassmann[11]), non tam propter enarratam ab iis Murmellii vitam, cum hi quoque ad ea, quae Hamelmannus tradidit, non multum addiderint, quam ob curam ac diligentiam in colligendis eius scriptis collocatam. Quorum quidem compluria nihilominus eos omnino fugerunt, alia,

---

[1]) Index lectionum academiae Monast. 1849/50, 1868/69.

[2]) Geschichte des Münsterschen Aufruhrs et l. c.

[3]) Programm des Gymnasiums zu Wesel, Jahrg. 1853.

[4]) Die Universität Erfurt, Trier 1858, I.

[5]) De Hermanni Buschii vita et scriptis, Bonnae 1866.

[6]) Rudolph von Langen, Münster 1869.

[7]) De linguae latinae in Germania fatis.

[8]) Gelehrten-Lexicon.

[9]) Bibliotheca Monasteriensis.

[10]) Murmellius literarische Verdienste (Westphalia, Hamm 1825).

[11]) Biographische und literarische Nachrichten von Münsterschen Schulmännern aus dem 15. und 16. Jahrhunderte. (Jahresbericht der Realschule zu Münster, 1862.)

ut fructus inde percipere potuerint, non satis diligenter perscrutati sunt.

Sed bene rem nostram Erhard[1]), Cornelius[2]), Parmet[3]) sublevarunt, quippe qui plura, quae huc pertinent, ex primariis certissimisque fontibus desumpta illustraverint. — Reliquos, quibus usi sumus, fontes ac multa scripta iam procedente commentatione afferemus.

In his studiis occupati ad veram solidamque huius viri vitae, morum, industriae imaginem effingendam scripta eius summi momenti esse cum magis magisque intellegeremus, nihil antiquius habebamus, quam ut ea nobis compararemus. Quorum maiorem partem ex bibliotheca Paulina academiae Monasteriensis petivimus, quos illius bibliothecae thesauros satis commode et accurate perlegendi benevolentia atque humanitate Winiewskii, praeceptoris nostri optimi, copia data est, alteram auctore Parmetio, viro doctissimo et humanissimo, ex diversis bibliothecis adepti sumus.

Hoc igitur fortunae beneficio adiuti scripta Murmellii maxima ex parte penitus neque, ut speramus, sine fructu perscrutati sumus. Illis vero viris, qui libenti animo haec nostra studia moderati sunt, gratam piamque memoriam semper servabimus.

---

[1]) Erinnerungen an Rudolph von Langen. (Zeitschrift für westfälische Geschichte und Alterthumkunde B. I.)

[2]) Die Münsterschen Humanisten.

[3]) Rudolph von Langen, Münster 1869.

I.

Non in hoc revocatae sunt bonae literae
in scholas, ut pristinas disciplinas eiiciant,
sed ut illae purius et commodius tradantur.
Erasmus.

Joannes Murmellius Ruremundae[1]) celebri quondam Geldriae oppido, quod ad Rurae et Mosae confluentem situm nunc ea Hollandiae in meridiem spectantis provincia, cui nomen est Limburg, continetur, anno circiter 1479 natus est[2]). Pater eius Theodoricus non multum quidem in literis versatus, sed vir spectata virtute ac summa animi bonitate,

---

[1]) Murmellius patriam urbem semper grato pioque animo prosecutus est. Anno 1504 (vide infra) imprimendam curavit Herm. Buschii „Odam sapphicam in Ruremundam urbem", ipse paullo post patriae, „pax ubi certa, salus vera, perennis honor vigeret", in Eleg. moral. II. 75 pulcherrimum praeconium tribuit. Ibi inter alia puer amicum primum reperit, quem ut fratrem per totam vitam amabat, Henricum Cellarium. Cui dedicavit et Buschii carmen et suum, item „bonarum artium praeludia"; ad eum scripsit Eleg. I, 7; I, 20; II, 15; IV, 2; Eclog. 7. Fortasse postea Murmellii tenuitas saepe pecunia ab eo sublevata est, quod Eleg. I, 7 verba indicare videntur:

„O quotiens cum me sors improba destituisset,
Dulcis amice, tua sum relevatus ope!
Haud secus ac tumidis si naufragus innatat undis,
Ni levet hunc veniens navis amica, perit."

[2]) Parmet (Rudolph von Langen, Münster 1869 pag. 85 not.) primus, quo tempore natus sit, accuratius constituit. Murm. enim in Comment. in Boethium, libro rarissimo (exemplar editionis orig. impr. Davent. per Albert. Pafraet est in bibl. Sem. Cler. Episc. Monast.) fol. XII haec dixit: „Cum vigesimum aetatis annum agens in frequenti eodemque ornatissima

quamvis exiguas facultates haberet, filium unice dilectum honeste educavit[3]).

Qui pater optimus mature Joanni ereptus est. Facere non possumus, quin animo commoveamur legentes, quomodo pater mortem subrepentem praesentiens dilectissimum filium ad studium liberalium artium adhortatus sit[4]). Boni patris verba in pectus pueri alte descenderant, qui se inde ab illa hora bonarum artium solito studiosiorem fuisse professus est. Sed magistri, quorum disciplina in patria urbe utebatur, (quod, si illius aetatis conditionem spectaveris, haud perinde miraberis,) ipsi literis parum imbuti puraeque linguae

---

Saxonum urbe (cui Monasterio nomen est) bonas artes audaci (ut inquit Horatius) paupertate impulsus non infeliciter profiteri coepissem, ... pervenerunt in manus meas aliquot paginae Rodolphi Agricolae Phrisii...." Itaque cum anno 1498 Monasterium eum venisse traditum sit (Hamelm. l. c. p. 267), anno 1478 eum natum esse coniecit Parmet. Sed tamen mihi unus scrupulus etiam restat. Licet Murm. anno 1498 Monasterium venerit, non ante annum 1500, ut infra videbimus, literas ibi docuit — et de suscepto ibi magistri munere, non de adventu suo his verbis loquitur Murmellius. — Qua re inductus nescio an eum anno 1479 demum, vel 1480 natum esse putem. — Ceterum haec temporis definitio nobis vitam eius expositurís summi momenti est, unde haud pauca ab Hamelmanno et aliis temere allata refutare possumus.

[3]) In enarrandis iis, quae ad adolescentiam Murmellii pertinent, imprimis epistulam ad Philoponum quendam discipulum, Didascalicis libris, impr. Colon. 1510 (in bibl. Paul. Acad. Monast.) praefixam, qui pueritiae solus fons est, secuti sumus.

[4]) Didasc. libr. l. c.: „Vides, fili suavissime, quo in periculo vita mea nunc versetur utque fatis instantibus premar. Quare cum te *unicum* habeam uniceque , ut par est, amem, cupio, priusquam rebus humanis renunciem, deo aspirante nonnulla, quae in rem tuam fore spero, tecum loqui. Praebe igitur te attentum et languidas prope moribundi oris voces diligenter accipe. Deum imprimis colito, extra cuius beneficium nihil boni mortalibus contingere potest. In patriam, matrem et necessarios pius esto; mei, quoad vives, ne obliviscitor. Quamquam enim modicum tibi patrimonium sum relicturus, multum tamen debes mihi patri tuo, qui te hactenus non solum honeste liberaliterque educavi, verum etiam ingenuarum artium professoribus tradidi cum literis tum bonis artibus excolendum. Et nunc id ago iamiam moriturus, ut pueritiae tuae recte vivendi viam praemonstrem. Artibus, quas liberales vocant, quantum poteris diligentissime studeto et magis animo, quam corpori curam impendito." „His dictis," inquit filius, „me collacrimantem dimisit pater; ego, quantum loqui permisit dolor, me obtemperaturum respondi."

latinae plane rudes erant[5]). Quare haud ita multo post mortem patris Daventriam, quae urbs in Hollandiae septentrionalis provincia, quam vocant Overyssel sita est, in Alexandri Hegii scholam, politiorum literarum nostris regionibus tum verum seminarium se contulit[6]).

Jampridem in hac urbe per „fratres communis vitae" (ex patronis etiam Hieronymianos vel Gregorianos appellatos), qui omnino Germanis viam ad humanitatis studium monstrarunt, melioris doctrinae fundamentum positum erat. Nam — ut alia merita, quae numquam satis laudari possunt, hoc loco praetermittam — in eorum schola inde ab initio cum studio scriptorum ecclesiasticorum classicorum, quos vocamus, coniuncta erat lectio[7]). Maximam vero illius urbis schola famam adepta est per virum, quem nominavi, Alexan-

---

[5]) Didasc. libr. l. c. „Verum sub imperitis praeceptoribus et latinae rudibus eloquentiae multum temporis absque operae pretio consumpsi." Cornelius (die Münsterschen Humanisten p. 8. annot. 6) hanc vituperationem opinatur referendam esse ad magistros, qui Daventriae Hegio rectore pueros edocebant. Mihi quidem his verbis Murmellius sine dubio eos notare voluisse praeceptores videtur, quibus patria urbe usus est. Ut de aliis rebus taceam, totus iam verborum nexus eam interpretationem postulat.

[6]) Cf. Didasc. libr. I, cap. 9; Comment. in Boeth. fol. LXVI b. Quo tempore id factum sit, incertum est. Ante duodecimum annum non putaverim eum in urbem a patria remotam migrasse, sed etiam, ut ex sequentibus rebus elucere videtur, non multo post, ut si circiter annum 1491 eum in scholam illam venisse putemus, non multum a vero aberremus.

[7]) De hac a Gerhardo Magno (Geert Groote) anno 1384 Daventriae instituta atque inde per Hollandiam et totam fere Germaniam septentrionalem propagata congregatione conferatur liber a Delpratio egregie scriptus, cui titulus est: Verhandeling over de Broederschap van G. Groote en over den invloed der Fraterhuisen cet. tweede druck, Arnhem 1856. Quem librum ex prima editione in nostram linguam vertit Mohnike Lipsiae, 1846. — Raumer, Gesch. der Paedagogik I, 66—74. — Heidemann, Vorarbeiten zu einer Geschichte des höh. Schulwesens zu Wesel (Progr. des Gym. zu Wesel Jahrg. 1859 p. 5 sq.) — Imprimis quaedam animi gravitas, vis concitans firmaque et immobilis religio ad eorum animos descenderat, qui ab illis fratribus educati sunt. Sed generalem tantum educationem populi sibi proposuerant illi fratres et praeterea diffiteri non possumus, eos ab ascetica et mystica ratione, quae in St. Thoma de Kempis, fidelissimo eorum discipulo quasi concorporata est, nimis esse ductos.

drum Hegium Westphalum, illum humanistarum Germanorum patrem patriaeque nostrae decus et ornamentum, qui ab Joanne Wesselo[8]), Rudolpho Agricola[9]), Rudolpho de Langen[10]) ardentissimo studiorum amore inflammatus et literarum opibus, quas illi in Italia cognoverant, adiutus anno 1475 scholam Daventriensem instaurandam susceperat eiusque dum vivebat moderator atque antistes erat. Laborum operaeque primis saltem temporibus, dum huic muneri suscipiendo idoneos discipulos erudierat, sine ulla dubitatione socios sibi adiunxit aliquot viros illius congregationis, ex cuius schola ipse exierat[11]). In huius viri probitate, mira modestia,

---

[8]) De hoc viro praestantissimo conferatur Ullmann Joh. Wessel ... Hambg. 1842, Friedrich Joh. Wessel, Regensbg. 1862. — Hegius et Wesselus sibi invicem de studiis scribebant ac libros mittebant. Quae fuerit necessitudo, qua hi viri vere magni coniuncti erant, intellegi potest ex epistula quadam ab Hegio ad Wesselum data, quae invenitur in Wesseli opp. p. 24 et aliis locis.

[9]) Agricola, qui multo minor natus erat (vide annot. 12 fin.) multum ad Hegii ingenii cultum contulit. Ad eum, ubicumque haesitabat, puerili modestia confugit; imprimis Graecam linguam ab eo didicit (cf. Parmet l. c. p. 79 annot.) Grato et mire submisso animo Agricolae de se merita agnovit, dicere solitus: „Ego magister liberalium artium, tum barbarus in literis, quadragenarius ad adolescentem Agricolam veni, a quo omnia didici, quae scio, vel quae alii me scire putant.“ (cf. Adami vitae philos. Germ. s. v. Agric.). Hoc sensu Agricola ab Erasmo et aliis praeceptor Hegii nominatus est. Sicut autem Hegius nulli plus debebat, quam Agricolae, hic a nullo plus exspectabat, quam ab Hegio amico. „Summam“, scripsit, „in spem adducor, aut tuo ductu, tuis monitis et institutione, aut nullius praeterea viribus cultiores literas in Germaniam perventuras et arcem aliquando occupaturas.“ (Vide Opp. Agric. T. II. p. 189.)

[10]) De Rudolphi Langii virorum doctorum, imprimis Murmellii nostri veri quasi Maecenatis cum Hegio commercio conferatur imprimis: Erhard, Erinnerungen an Rudolph von Langen und seine Zeitgenossen (in Zeitschr. für westfälische Gesch. und Alterthumskunde T. I. p. 26), Winiewski, oratio de Rudolpho de Langen (index lection. Acad. Monast. 1849/50); Cornelius l. c. p. 26.; Parmet, Rudolph von Langen, Münster 1869.

[11]) Beat. Rhenanus in dedicatione Erasmi opp.: „Nam coenobitae isti palliati quibusdam scholasticorum classibus praesunt et publice docent.“ Inprimis Sinthius (Zynthius, Synthem), magnis laudibus ab Erasmo et Buzbachio discipulis elatus (Delprat, l. c. p. 70, 267, 300, 329) tantam famam consecutus est, ut eius nomine libri ab eo non scripti circumferrentur, quod ex Torrentini verbis elucet: „Quae maxime et in usu et pretio habentur Alexandri glossemata atque viro doctissimo Joanni Synthem

flagrantissimo literarum studio innataque quasi docendi facultate, qua tot tantorumque virorum ingenia aluit, laudanda consentiunt omnes[12]). Medium quiddam tenens inter forma-

---

falso ascribuntur, quot erroribus scatent, quot deliramentis referta sunt." (Herm. Torrentini comment. in prim. partem Doctrinalis Alexandri, impr. Colon. in offic. Quentell, 1508. Exstat in bibl. Paul.)

[12]) Chytraeus, Chron. Saxon.; Hamelmann. l. c.; Revius, Daventria illustr.; Sweertius, Athenae Belg., Burckhard, de linguae lat. in Germ. fatis; Meiners, Lebensbeschreibungen berühmter Männer cet. T. II.; Heeren Gesch. des Studiums der class. Lit. etc. I. II; Erhard, Gesch. des Wiederaufblühens d. Wissensch. T. I; Schwarz Gesch. d. Erziehung, 2. Aufl. Leipz. 1829, T. II.; Raumer, Gesch. d. Paedagogik I; Winiewski, l. c.; Delprat, l. c., Parmet l. c.; ac quicumque renatas per Germaniam literas attigerunt sive de arte educandi, qualis illo seculo fuerit, exposuerunt, ut aequum erat, humanistarum patris nomen celebrant. — Inter aequalium commemorationes magni momenti sunt, quae a Buzbachio sive Boizbachio monacho, qui se ultimum eius discipulum professus est, de Hegio memoriae prodita sunt, ex Buzbachii libro manuscr. (Odeporicon III, 10, 15), qui in bibl. Bonnensi asservatur, per Delpratium l. c. communicata. Cuius viri auctoritatem iniuria a nonnullis in dubium vocatam esse infra demonstrabimus. — Egregiam nuper de Hegio commentationem scripsit Molhuysen ille Daventriensis, per Trossium nostra lingua retractatam in „Zeitsch. f. Westf. Gesch. u. Alterth." T. XXI. p. 339 — 360. — Attamen affirmare non dubito, multa in Hegii vita accuratius esse investiganda ac perpendenda, atque ante omnia hoc dici potest de tempore, quo scholam Daventriae aperuerit. Quare cum mihi ultro persuasum sit, si qui alius literarum ludus, certe Alexandri Hegii accurata temporis descriptione dignum esse, perpensis virorum doctorum sententiis liceat meam de hac re proferre sententiam.

Meiners (l. c. p. 364) primus ex epistula quadam Agricolae ad Hegium, (Opp. Agric. ed. Colon. 1539 T. II. p. 181) inscriptione quidem anni, quo composita sit, carente, in qua de illo ludo quasi modo aperto sermo est, collegit, non ante annum 1481 scholam esse apertam. Quam sententiam deinde Heeren, (l. c. p. 149. 151), Erhard, (l. c. p. 416), Schwarz (l. c. p. 253), Krabbe, (Gesch. Nachrichten über die höheren Lehranstalten zu Münster, 1852 p. 69) secuti sunt. Alii contra, in his Raumer (l. c. p. 86), Molhuysen (apud Tross. l. c. p. 343), Parmet (l. c. p. 50), imprimis auctoritate Hamelmanni (l. c. p. 173), Sweertii (l. c. p. 76) aliorumque nisi, qui Hegium per triginta annos scholae Daventriensi praefuisse tradiderunt, quoniam anno 1498 mortuus est (vide infra), eum iam anno 1468 sive 1469 scholam illam aperuisse censuerunt. Utramque sententiam falsam esse mihi videor posse demonstrare. — Ac primum quidem iam ante annum 1481 floruisse sub Hegio scholam imprimis ex Erasmi vita cognosci potest. Is enim, natus anno 1466 die 28 mens. Oct. (Chytraeus, l. c. p. 149 et 427, Raumer l. c. p. 94 et alii scripserunt anno 1467), puer novem annorum, non quatuordecim, ut Mei-

lem antiquitatis studiorum rationem, quam Italorum humanistae praecipue sequebantur, et Hieronymianorum omnibus

---

ners (l. c.), scilicet ut ad suam sententiam quadraret, et Schwarz (l. c.) scripserunt (Schwarz ceteroquin parum sibi constans, cum p. 263 prorsus aliter senserit), in Hegii scholam venit, quam matre peste abrepta duodecim annos natus relinquere coactus est (vide vitam ab ipso conscriptam ante opp. Erasmi). Itaque a fine anni 1475 vel initio 1476 usque ad annum 1478 vel 1479 apud Hegium erat. — Sed etiam alteri sententiae assentiri non possumus. Nam inde a vere anni 1474 Hegius Wesaliae in schola Magna (Grote Schoele) rectoris munere functus est, quod ex rationibus expensi a magistratu Wesaliensi illo tempore exhibitis accuratissime eruit Heidemann (Weseler Gymn. Progr. Jahrg. 1859 p. 11), qua re simul, ut hic admoneam, Buzbachii, qui Hegium Wesaliae et Embricae gymnasiarchum fuisse tradidit, auctoritas a Molhuysenio (l. c. p. 340) aliisque in dubium vocata valde illustratur. — Post annum igitur 1474, sed ante annum 1476 scholae Daventriensis gubernationem Hegius susceperit, necesse est. Cum vero Buzbachius, verus ac fidus auctor, eum etiam Embricae fuisse tradiderit (Alexander cognomento Hegius, natione Teutonicus, patria Westphalus, Gymnasiarcha apud Wesaliam, deinde in Embrica etc.) non multum a vero aberremus, si unum annum commorationi in illa urbe tribuentes eum vere anni 1475 ludum Daventriae aperuisse statuamus, ita ut Erasmus ex numero primorum discipulorum fuerit. Hoc tempore etiam, id est paullo antequam in Italiam profectus est, Agricolam eam quam supra commemoravi epistulam scripsisse verisimillimum est.

Mortuus est Alexander Hegius, Meister van den Heck (cf Heidem. l. c. p. 12), sive Meister Sander appellatus (cf. Molhuysen, l. c. p. 347, 357), teste Buzbachio anno 1498 die St. Joannis Evangel. (27. Dec.), cum paullo ante sacerdos factus esset; et quidem refert Buzbachius, eum „plenum dierum" fuisse; idem Sweertius (l. c. p. 76); Hamelmannus (l. c. p. 174) „confectum senio" et (p. 265) „propter aetatem" eum recusasse, quo minus Monasterii scholam aperiret. Quibus rebus inter se collatis prorsus non possum intellegere, qua re adducti Heeren et Erhard (l. c.) censuerint, annum 1433, quo Joecher Hegium natum esse voluit, nimis praematurum esse positum. (In Ersch. et Grub. Encycl. T. 13. p. 144 Erhard eum inter annos 1440 — 45 natum esse coniecit.) Hegium multo maiorem fuisse Agricola, anno 1443 nato, elucet ex verbis supra laudatis (vid. annot. 9), quibus adolescentes aetate iam provectos ad studia adhortari solebat. Quibus omnibus bene consideratis ego quidem multum abest, ut annum 1433 praematurum iudicem, ut nesciam an cum Delpratio consentiam, eum iam anno 1420 natum esse. Nam id, quod contra Delpratium proferri solet, eum non potuisse annis 19 maiorem natu esse, quam Langium, anno 1439, atque adeo 23 annis, quam Agricolam, 1443 natum, quorum condiscipulus Hamelmanno auctore apud Thomam de Kempis fuisset: haud perinde infringere mihi videtur hanc sententiam, qui omnino cum Dillenburgero (Emmerich. Gymn. Progr. Jahrg. 1846 p. 5) vehementer du-

externis, ut ita dicam, rebus omissis solum cultum animi spectantium rationem, utriusque partis bona miro consensu concentuque copulavit. Ardentis animi impetu accensus studiis latinorum graecorumque auctorum sese dederat, quorum formalem pulchritudinem una cum altiore pretio iuventuti demonstrabat[13]).

---

bitem, illos sexviros qui vocantur, ab Hamelmanno condiscipulos productos, revera omnes condiscipulos fuisse. Dringenbergius enim iam anno 1450 Schlettstadiae illam celebrem scholam instituit (cf. Raumer, l. c. p. 111), quo tempore Agricola puer vix septem annorum erat; Spiegelbergium autem anno 1444 Embricae iam ecclesiae praepositum fuisse verisimillimum est (cf. Dillenburger, l. c.). Insuper, quam indiligens Hamelmannus in eiusmodi rebus proferendis fuerit, ex enumeratione Murmellii condiscipulorum elucet, de qua re infra nobis erit disserendum. (Vide annot. 16)

[13]) Patet iam ex iis, quae de Hegii studiis diximus, non statim ab initio talem esse potuisse eius scholam, qualem supra eam depinximus. Accedit, quod tum omnium subsidiorum maxima inopia erat; neque obliviscamur, praeiudicatas studiorum opiniones ac confirmatas ei insuper fuisse superandas, incultum ac silvestrem agrum, ut ita dicam, colendum. Quod si Erasmus, primus fortasse eius discipulus, in universum „barbaram“ appellavit Hegii scholam (vid. vit. Erasm. l. c.), non miremur; ultro erat nimis puer et perbreve tantum tempus in illa schola (vid. annot. antec.), ut non posset ascendere in Hegii classem, cuius disciplina, ut ipse dixit, festis tantum diebus, ubi omnibus recitare solebat, fruebatur. (vid. vit. Er. l. c.) Eadem ratione etiam, quae de eius scientia linguae graecae annotavit, censere debemus. — Sed cum *Murmellius* ad eum veniret, quod circiter octo annis ante mortem eius factum supra conieci, commercio atque consuetudine doctissimorum virorum usus et cum saeculo suo aequabiliter constanterque progressus haud dubie sese iam multum excoluerat. Ars typographica interim Daventriae pervulgari coepta erat Richardi Pafraet Coloniensis et subinde Jacobi de Breda celeberrimis officinis, ex quibus usque ad finem illius saeculi amplius ducenta opera prodierunt (cf. Overysselsche Almanak voor oudheid en letteren, 1842, p. 40.). Ad quam artem colendam et exornandam Hegius, quippe quem Richardi illius domo mensaque usum esse verisimillimum est (cf. Molhuysen, l. c. p. 346), sine dubio multum contulit simulque ipse ea valde adiutus est. — Quantum aestimaverit Graecam linguam cum ex epistulis eius, (quas ex Hegii dialogis a Fabro anno 1503 Daventriae editis exscripsit Molhuysen, l. c. p. 360 sq.), tum ex nonnullis carminum (ab eodem Fabro eodem anno editorum) locis elucet: „Si grammaticam“, inquit, „mathesin, historiam, sacram scripturam intellegere vis: discito graece:

Artes ingenuae Graio sermone loquuntur,
Non alio, quibus haud nomen dat lingua latina,
Ad summam doctis sed debent singula Graecis.“

Et — rarum illa aetate — haud mediocrem huius linguae scientiam sibi comparaverat. Murmellius (libr. didasc. II. c. 9 et 21) eum „hominem

Omnia vero, quae docebat, a religione christiana vim quasi vitalem ceperunt. Insolita pro ratione illorum temporum literarum scientia instructus, tamen omnem doctrinam sibi persuaserat vanam esse, quae cum damno religionis compararetur [14]). — Ad talem igitur virum Murmellius se contulerat, mortui patris verbis pectori alte impressis[15]). Ab illo, exstirpatis paullatim ineptis latinae linguae libris, cum ad ipsos auctores duceretur discipulique Hegii invicem studia optimi cuiusque aemularentur, nonne exspectandum erat, eum maiore mox amore amplexurum esse literas?[16]) Quan-

---

graecae ac latinae linguae cum primis eruditum" nominavit, et Revius (l. c. p. 129) primum eum graecas in Belgio literas excitasse scripsit. Quid plura? cum Fabro grato discipulo exclamare cogimur (in dedic. Hegii carminum ad Erasm.): „Quae nostrum Hegium commendant, quis dixerit facile? Qui et dignitate et auctoritate prae ceteris valens infimos quosque facilitate incredibili aequavit. Vigilantissimus negotiosam vitam et quietae et tranquillae praetulit semper, mirum in modum sollicitus, qua ratione iuventuti studiosae consulendum optime. Cui bene instituendae ut se natum duxerit vita acta docet."

[14]) Pulcherrime sane hoc verba ad Wesselum scripta confirmant (cf. Wess. opp. p. 24): „De institutione mea certior a me fieri petis. Secutus sum consilium tuum; perniciosa enim litteratura est, quae cum iactura probitatis discitur." Murmellius in comment. in Boethium, impr. Daventr. per Albert. Pafraet, fol. 66 b. haec Hegii praeceptoris sui verba attulit animum pium bene exprimentia:

„Libertas summa est tua, Christe, facessere iussa;
Nemo est ingenuus, nisi qui tibi servit Jesu,
Nemo est, qui regnet, famulus nisi fidus Jesu."

Duas res, ut hic admoneam, proprias ac peculiares habebant humanistae Germani: primum, quod non ignorantes a solis academiis, ad quas imparati accedebant auditores et in quibus ultro aegre plerumque recipiebatur novum literarum genus, (de altiore eius rei causa infra disseremus), salutem non posse exspectari, a scholis inferioribus initium sumebant reformandi, de qua re perpaucis exceptis nunquam cogitarunt Itali. Tum in iis fere omnibus intimam illam philologiae cum sacrarum rerum studio coniunctionem videmus.

[15]) Quod Revius (l. c. p. 138) narrat, Murmellium, priusquam ad Hegium venisset, militiae nomen dedisse, inter fabulas numerandum est. Revii auctoritas omnino valde suspecta videtur, quippe qui p. 131 (nimirum Hamelmannum l. c. p. 222 secutus) eo etiam tempore Hegio discipulos attribuerit, quo ille iam diu mortuus erat.

[16]) Hoc loco aliquot errores inveteratos refutare debemus. Chytraeus (l. c. p. 224) Erasmum apud Hegium Murmellii condiscipulum fuisse scri-

tum distaret Hegii ratio, qua pueriles animos formaret, a priorum magistrorum ratione instituendi, adolescens optima indole praeditus fieri non potuit quin iam tum intellegeret, simulque, si literas in antiquum honoris statum restitutum iri umquam posset sperari, viam ab Hegio praemonstratam esse persequendam. Sed quamvis disciplinam Hegii quoque, ut omnibus initiis fieri solet, imperfectam fuisse concedamus[17]): hoc est magnum eius meritum, quod discipulorum animis, quo ipse flagrabat, amorem literarum optime instillare sciebat et simul prohibebat, ne, quod Italorum humanistis plerumque acciderat, cum fidei christianae damno in literis progrederentur. Quare huic praeceptori, ut gratum discipulum decebat, Murmellius semper piam memoriam servavit.

---

psit et alii eum subsecuti sunt. Eiusmodi res omnino reiiciendae sunt; Murmellius vix natus erat, cum Erasmus illam scholam iam reliquisset (cf. annot. 12). Neque Buschium eius condiscipulum fuisse Hamelmanno (cf. Hamelm. l. c. p. 284) crediderim. Nam idem Hamelmannus narrat, Buschium ab Hegio et Langio ad Agricolam, Heidelbergae tum professorem, missum; deinde aliquid temporis Tubingae commoratum in Italiam profectum esse. (Hamelm. l. c. p. 286; vide etiam Liessem: de H. Buschii vita et scriptis, Bonnae 1866 p. 11; Parmet. l. c. p. 24). Itaque, cum Agricolam anno 1485 vita decessisse constet, ante annum 1485 Hegium reliquit. Pari ratione inducti etiam negare cogimur, Agricolam de Murmellio illud vaticinium edere potuisse (scil. „magna in te ingenii vis est;“ cf. Hamelm. p. 285; Revius, p. 134 et alii), quamvis ceterum pulchre et vere id esset praedictum.

[17]) Aequus rerum aestimator id non negabit; si enim Hegius pro illis temporibus iure magnus dicitur, tamen nisi ipsa rerum mediocritate metiendus non est. Quin immo illas barbaras grammaticas, quale est imprimis illud Doctrinale, quod vocabatur, Alexandri de Villa Dei, nunquam plane ex eius schola evanuisse puto. Probant hoc insuper Torrentini discipuli Hegii verba: „Ipsi olim pueri experti sumus, quantus labor sit, Alexandrum ediscere.“ (Herm. Torrent. in praefat. „Comment. in secund. partem Doctrinalis Alexandri“, impr. Colon. 1508.) Qui libri cum per tria fere saecula omnes scholas occupavissent, velut sacrosancti non ita facile aboleri poterant. (Cf. etiam annot. 11.) Quam firmiter cum omnium fere opinione coaluerint, optime edocemur tota Murmellii vita.

II.

Postquam ita per aliquot annos Hegii institutione usus est, amicis, ut ipse dicit, hortantibus universitatem Coloniensem adiit, philosophicis studiis operam navaturus[1]). Ibi illum Arnoldum de Tungern magistrum habuit[2]) — Quandoquidem Coloniam procreatricem ac parentem cuiusvis barbariae interpretari consuevimus, quid mirum, quod Niesert contendit, Murmellium a talibus magistris haud multum discere potuisse[3])? Sane si ex Hamelmanno, partium studio nimis ducto[4]), imprimis si ex illis famosis „epistolis obscurorum virorum," quae a malitia infestissimisque animis dictatae ac compositae sunt[5]), qualis in universitate Coloniensi literarum

---

[1]) Libr. didasc. l. c.: „Post amicorum iussu philosophicum petere gymnasium coactus sum." Hoc philosophicum gymnasium sine dubio est domus sive bursa Laurentii. (cf. annot. 8 ..) De bursis urbis Coloniae cum universitate coniunctis, inter quas, praeter „domum Laurentii," „domus Montis" et „domus Kuckana" eminebant, conferatur Bianco, „die alte Universität Cöln" .. I p. 253 sq. Quia in bursa Laurentiana philosophia secundum rationem Alberti Magni tractari solebat, alumni *Albertistae* nominabantur, sicut Montani, quia rationem Thomae Aquinensis sequebantur, *Thomistae*. (cf. Bianco l. c. p. 255)

[2]) Cf. Eleg. moral. II. 14 et epist. ad Arnold. Tungrum, qua libros didascal. ei dedicavit.

[3]) „Man weiss zu gut, wer Arnold von Tungern gewesen und wie weit Cöln damals in der Philosophie zurück war, wenn sonst die Nachrichten von Hamelmann, Hermann von dem Busche und die Briefe der obscurorum virorum noch einigen Glauben verdienen." (Niesert, Murm. literarische Verdienste, in Tross Westphalia, 1825 2. Jahrg. 1. Quart. p. 22.)

[4]) Respondet fini, quem sibi proposuerat Hamelmannus, quod priorum saeculorum instituta contempsit; ne verbo quidem *fratrum communis vitae* magna studia memoravit. Unde etiam Colonienses theologi ab eo nisi „theologastri" „barbari," „inepti sophistae" non appellantur.

[5]) De his epistulis, ex schola Mutiani profectis, quae anno 1516, paullo ante mortem Murmellii, qui eas inspexisse videtur (vid. annot. 19), divulgatae sunt, conferatur imprimis Kampschulte, die Universität Erfurt, I. pag. 192—226. — Infinitum et quasi innatum contra Colonienses professores odium proprium erat omnium, qui ad hoc opus conficiendum sese coniunxerant. „Viginti amplius sumus in infamiam ac perniciem vestram coniurati," scripsit Hutten. — Nullum cognomen tam atrox

conditio illo tempore fuerit, iudicamus, fieri non potest, quin iudicium illi academiae pessime cadat. Et tamen ita a plerisque inde ab illo tempore factum est. Unde indignissimae ac pudendae contumeliae, quae umquam in Colonienses theologos quasi ineptos barbariae fautores et oppugnatores cumulatae sunt, deinceps repetitae, ita ut hodie nomina Arnoldi de Tungern, Jacobi Hochstraten, Ortwini de Graes horridae ignorantiae perfectam imaginem repraesentent. Ipsi latinae linguae imperitissimi, implacabiles humanistarum, quos vocare solemus, inimici depinguntur, quippe qui omnes, ex quibus ingenium emicuisset, qualicumque modo avertissent ac depressissent. Humanistae contra, qui Hamelmanno et aliis, ut literarum renatarum ita etiam reformationis ecclesiae, quam vocant, quasi duces videntur, nimirum ubique pro bona re martyrium, ut ita dicam, subierunt, et si Hamelmannus etiam Murmellium a „barbaris Coloniensibus" eiectum esse memoravit, sane sibi constitit[6]). Sed apud nos maiore auctoritate ac pondere sunt Murmellii de illis viris latae sententiae, qui se ab *eruditissimis viris nondum satis idoneum auditorem* in philosophia eruditum dixit[7]), qui Arnoldo illi de Tungern *multum se debere* ingenue professus est, dubitans, utrum *moribus eius*, *an sapientiae sacrarumque rerum cognitioni* maior laus tribuenda sit[8]). Notum est, academias

---

fasit, quin „sophistis" inderent. „Terriculamenta et monstrosissima monstra ut eos appellaret placuit Eobano Hesse; Reuchlino diabologos (cf. illustr. viror. epist. ad Reuchlin. p. 3). Ex Hochstrati nomine fecerunt Hecostratum et id „κυνόριγχος," „Canirhonchus" interpretati sunt (cf. Epp. Clar. vir. III. 2). — Quod Coclearilingeus de Mutinano scripsit, quodammodo de unoquoque ex sodalicio illius dici potest: „Quidam Studens Erfordi, qui est mihi notus, dixit, quod Conradus Mutianus est pessimus omnium, qui sunt pro Reuchlin, et est ita inimicus Theologis, quod non potest audire, quod aliquis nominat Theologos Colonienses." (Cf. Epp. Obscur. p. 264 ed. Münch.)

[6]) Hamelmann l. c. p. 267. Cf. de ea re pag. 21. comment. nostrae.

[7]) Libr. didasc. l. c.

[8]) Eleg. moral. II. 14.:

„Nunc, precor, Arnoldum blande fac, musa, salutes,
Tungrorum veterum spemque decusque novum,
Qui primos inter proceres vestigia divi
Alberti sequitur, optima quaeque docens;
Quem dubites morum laudes aequabilitate

in universum humanistarum studiis non favisse; neque mirum. — Ut omnibus institutis mediae aetatis, etiam universitatibus ab ecclesia nota, ut ita dicam, impressa erat. „Ad laudem divini nominis et fidei catholicae propagationem exaltationemque Romanae ecclesiae“ fundatae[9]), iure meritoque officii sui ducebant, rerum ecclesiasticarum commodis consulere. Itaque quasi stabilem et a novis rebus alienum animum prae se ferentes humanistarum pro antiquitatis literis contentionibus, quibuscum saepe — et hoc est imprimis observandum —, ut apud Italos, religionis christianae alienatio coniuncta erat, raro libenti animo obveniebant.

Per longam annorum seriem institutionem educationemque inventutis obtinuerant. Divini quasi vatis usque ad decimum sextum saeculum theologorum Coloniensium auctoritas erat. Pluris quam Croesi thesauros responsa eorum aestimari et nomen ad sidera tolli, legitur in epistula theologorum Cracoviensium anno 1448 ad collegas Colonienses data[10]). Ad hanc universitatem, „ecclesiae Romanae fidelem filiam“[11]), primariam theologiae et philosophiae sedem, imprimis tum studiosa inventus confluebat. Quod si humanistae omnem priorem disciplinam insulsam seque nimia plerumque superbia solos doctos iactitabant, num putamus, academiarum antistites instituta antiquitus servata ac maiorum auctoritate consecrata impune proculcari passos esse? — Tametsi vero natura atque conditione professorum Coloniensium continebatur repudiatio novarum rerum, quales in literis humanistae molieban-

---

Amplius, an sophiae cognitione sacrae;
Externas cuius longe pervenit in urbes
Nomen et insignis fama pudicitiae.
Hoc est Laurenti domus et schola laeta magistro
Urbis Agrippinae clarior et reliquis.
Hocque novum iuvenes spatiando docente lyceum
Discipulos plures, quam Theophrastus habet.
Huic praeceptori multum debere fatemur,
Quamvis sit sophiae portio parva mihi.“

Eodem modo in dedic. libr. didasc. eum alloquitur: „Arnolde inter primarios huius saeculi theologos famigerate.“

[9]) Motschmann, Erfordia literata I. p. 16, Kampschulte l. c. p. 3.

[10]) Cf. Bianco l. c. Anlagen p. 236.

[11]) Cf. Bianco l. c. I. p. 389.

tur, tamen numquam mihi persuadebitur, acerbum illud et insigne cum humanistis certamen, cui humanistae ipsi epistulis obscurorum virorum compositis cumulum imposuerunt, propter studia humanitatis, ut ita dicam, doctrinamque, quamquam ita primo aspectu videtur, maxime ortum esse, vel propter id potius esse litigatum, utrum Doctrinale quod vocabant Alexandri, an Donati grammatica meliorem praeberet disciplinam. Etiam Coloniensis universitas illo tempore rationibus humanistarum undique ingruentibus plane se subtrahere non potuit nec voluit[12]).

Sed cur tam diu dubitaverit haec studia palam profiteri, cur victoriam humanistis tam difficilem fecerit: hanc causam maxima ex parte, ut opinor, mores, amorum, quibus usi sunt, genera, insolentia, superbia, inhumanitas denique humanistarum quorundam attulerunt. Modestia et temperantia multis humanistis ignota erat. Inspiciamus tantummodo naturam moresque immoderatos unius ex auctoribus illarum epistularum — neque is deterrimus erat — Hermanni Buschii Monasteriensis[13]); legamus tantum ejus orationem anno 1508, cum pugna nondum exarsisset, in synodo coram clero Coloniae habitam[14]): tum assentiri cogimur Ortwino Gratio: *videri Buschium sibi velle contrahere inimicos* scribenti[15]). Si

---

[12]) Quanto tum opere humanitatis notione studia iam regerentur, elucet ex hac inscriptione anni 1512: „Melchior de Sparnink ad studium humanitatis iuravit et solvit.“ (Krafft, Mittheil. aus d. Matrikel d. alt. Cölner Universit. in „Zeitschrift für Preuss. Gesch. u. Landeskunde“, Jahrg. 5. Berl. 1868 p. 492.) — Ortwinus Gratius Buschii comment. in Donatum anno 1509 iterum edendum curavit. (Est huius edit. exemplar in bibl. Paul.)

[13]) Hamelmannus de eiusmodi rebus nihil se scire simulat. Quippe! ei enim quasi martyr est. — Integram et incorruptam animi Buschii imaginem effinxit Liessem in commentatione de H. Buschii vita et scriptis, Bonnae 1866. Vide etiam de eo Parmet. l. c. p. 56 et al. locis. — Eum autem epistulis illis conficiendis socium et affinem fuisse causis nihil dubii relinquentibus docuerunt Cornelius l. c. p. 25; Kampschulte l. c. I. p. 269; Liessem l. c. p. 60 sq.

[14]) „H. Buschii Pasiphili sermo de studio et lectione sacrarum literarum *deque avaritia omni ope ecclesiasticis fugienda.*“ (Exst. in bibl. Paul.) — Hanc orationem ante ortum certamen, anno 1508, habitam esse contra Meinersium constituit Liessem l. c. p. 53.

[15]) „Rogamus igitur Herm. Buschium, ne nobis amplius ob frequens nostrum auditorium invideat, aut falsi oculatum caecutiens insimulet, quo-

Arnoldus de Tungern natura rationeque humanistarum i diis talis, qualis describitur, inimicus fuisset, quomodo M mellius, humanistae Germani, qualis esse debet, imago i nibus numeris absoluta librum, in quo ingenuarum art studia defensurus esset, ei dicare potuisset[16])? Si deni legimus, quanto gaudio Ortwinus ille de Graes Murmellii bros de artium liberalium disciplina scriptos exceperi nonne prope est, ut Colonienses non contra rem, sed co

---

niam his suis moribus sibi amicos parare non potest; videtur autem micos velle habere." (ante edit. Buschii comment. in Donat., quam n citavi.)

[16]) In libr. didasc. Arnoldo de Tungern dedicatis inter alia l verba inveniuntur (vid. l. II. c. 15): „Evitandus est magnopere com rium error, qui dialecticis nimium dediti cavillationibus ceteraque as nantes studia omnem aetatem suam circa ceratinas et crocodilinas so sticosque Meandros contulerunt."

[17]) His versibus prosequitur Murmellii libr. didascalicos:

„Foelices anni nobis, nova tempora mundo
Nascuntur; nova nunc gaudia mundus agit.
Noster Joannes haec nunc Murmellius orbi
Nuncupat et doctis consulit usque viris."

Nemo fortasse noto illo contra Reuchlinum certamine tristiorem ctus est celebritatem eamque minus meritus est, quam Ortwinus Gra — Natus, ut ipse dicit in praefatione Werneri Rolewink „de antiq. S num moribus et situ" scripti, in Westphalia prope Coesfeldiam, iam dem discipulus, deinde lector quartae classis in schola Daventriensi, ctoritatem ac laudem consecutus est. Cf. Delprat, l. c. p. 77; (qui qui haud dubie vehementer erravit, si eum anno 1448 natum esse tradit, anno 1501 demum Coloniae „ad artes iuraverit"; cf. Krafft, l. c. p. 4 Deinde Coloniae bursae Kuckanae professor (Bianco l. c. p. 381) et rector in celebri officina Quentell, cum contra arrogantiam Buschii qu quam sibi obloqui non patientis exsurgeret, ab illo eadem terra ge omnibus contumeliis laceratus est. In epistulis obscurorum virorum, q ei inscriptae sunt, quasi praeses barbarorum inducitur. Aequius de iudicavit Erasmus (cf. Erasmi Opp. IV. 13 ed. Lond.). Magnam lau ei tribuit Murmellius noster, qui in Scopario (ed. Colon. 1518, fol. XII profitetur, commentarios suos in Sev. Boethium, Daventriae non satis ligenter impressos, „Coloniae per Joannem Caesarium et Ortwinum (tium, viros doctissimos, integritate diligentissime restitutos esse." — I fecto, quem iuvenili quasi gaudio perfecti humanistae studia affecer ut modo audivimus, quique Ciceronem ita dilexit ac commendavit, ut s beret:

„Hic capit elata doctorum fronte coronam
Eloquium Marci qui Ciceronis amat"

personas pugnasse putemus? — Ut omnes viri probi et humanistae nomine digni[18]), Murmellii ingenuus purusque animus ab illa pudenda controversia semper abhorruit[19]), et si Kraner inter „Coloniensium magistrorum acerrimos adversarios" etiam Murmellium et Caesarium numerat[20]), nequaquam vitam horum virorum moresque se perspexisse prodit.

(ante M. T. Ciceronis epist. select. ed. Colon. 1510 ,quae exstant in bibl. Paul. s. Nro. d/79) ut is barbariae faverit, fieri prorsus nequit. Immo eleganti ac polito scribendi genere usus est, quod iudicari potest ex epistula, qua Erico Monast. diocesis episcopo suam operis Werneri Rolewink editionem dicavit. (Edit. primae, Colon. 1514 paratae, exemplar exstat in bibl. Paul.)

Ut in pauca conferamus, vitium sane solum fuit *orthodoxia*. De Hochstrato denique praeclare dixit Harzheim: „Latinae orationis barbariem obiecere grammatici, sed fidem, sed disciplinam ecclesiasticam in eius libris nemo non agnovit Catholicus."

[18]) Quantopere Erasmo illae altercationes displicuerint, apparet ex epistula, in qua Buschii immodestiam vituperans, Hochstrato scripsit: „Egi diligenter cum homine, ut verteret consilium" (cf. Boecking, opp. Hutt. II. p. 276), et in alia epistula: „Et tamen illos iudicabam indignos, a quibus eiusmodi scriberentur" (Boecking l. c. I. p. 305). „Utinam," queritur, „Huttenus temperasset stilo suo, cuius ingenium amo unice!" (cf. Boecking l. c. I. p. 362).

Quid mirum, quod ea de re viri, nullam exhortationem aequo animo ferentes, deinde etiam in Erasmum invexerunt? Quare Pirkheimero scripsit: „Buschius, furiosior Hutteno, semper a me laudatus et humaniter acceptus Basileae, certe nullo verbo a me laesus, excudit nescio quid in me, quod fortassis exibit hisce nundinis." (Cf. Boecking l. c. II. p. 261.)

[19]) In supremo opere, Scopario, (impr. Colon. 1518 fol. XI a) inter libros, qui ob „ineptias ridiculaque verborum interpretamenta" vitandi sint, primo loco illas epistulas modo editas (vid. annot. 5) posuit his verbis: „Imprimis execrabiles (sic) et barbaras atque a summo tandem Pontifice condemnatas obscurorum virorum epistulas tamquam pestem quandam fugere debemus." — Qui vero illas composuerint, quoniam ipsos illarum partium viros latere potuit (cf. Kampschulte l. c. p. 225), fortasse eum omnino fugit.

[20]) „Fr. Kraneri narratio de humanitatis stud. quinto et sexto decimo saeculo in Germania origine et indole" (Progr. Scholae Regiae Afranae Misn. 1843) — Caesarii, praestantissimi Coloniae humanistae, qui graecam linguam in Rheni potissimum regionibus propagavit, infra mentio nobis erit facienda. Hoc loco mihi tantum liceat, verba Spalatini afferre, unde cognoscamus, quam aptus fuerit ad hominum animos alliciendos. Is anno 1520, tres dies Coloniae commoratus, diario suo inscripsit: „Hic dies mihi peperit amicum, J. Caesarium, virum tanta integritate, ut priscae probitatis exemplum." (Vide Menken, script. rer. Germ. II. 606.)

Quocumque tempore et loco vera literarum commoda agebantur, Murmellium nunquam defuisse vita eius et scripta docuerunt. Sed semper — et hac re a multis suae aetatis philologis discrepat — modestus exstitit literarum defensor, et nescio, an hoc modo magis literis consuluerit, quam qui omnibus pudoris officiique repagulis perfractis igni quasi ferroque eas introducere tentaverunt.

Haec nobis praecipienda visa sunt, non solum ut iustius de praeceptoribus studiisque Murmellii iudicium feramus, sed ut familiaritatem etiam nunquam, dum vixit, turbatam cum iis, quos principes obscurorum hominum appellare iuvat, intellegamus et aestimemus.

Non dubitamus igitur, quin in illa universitate, quam ipse Melanchthon[21]), qui in universum Coloniae haud perinde favere poterat, laudavit, Murmellius multum discere potuerit et didicerit. Philosophiam, non ignorans quantos fructus ferret, quippe quae animum magis firmum et solidum redderet, semper amavit et commendavit[22]).

Exacto igitur cursu philosophico magisterii gradum ibi sumpsit[23]), „non sine insigni," ut refert Foppens[24]), „erudi-

---

[21]) „Coloniensem academiam peculiariter colui, quod ingenii mei culturam, quantulacumque est, ipsi aliqua ex parte debeo." (Melanchth. Declam. I. p. 5. 87. ed. Argent.)

[22]) Noli putare, quoniam modestus „parvam sibi sophiae portionem esse" dixit, eum leviter philosophia imbutum esse. Contra scripta eius inter alia comment. in Boethium, in Aristot. praedicamenta, „aurea bonarum artium praeludia," sive de philosophia et eius partibus libellus satis indicant philosophum. Quid? quod Gessnerus et, qui eum secutus est, Panthaleon (prosopographia illust. vir. II. p. 33) eum breviter philosophum nominant. Quanti aestimaverit philosophiam, ex praefatione libri, quem ultimo loco posui, ad Henricnm Cellarium amicum iudicari potest, in qua praefatus, quae causa eum ad hunc libellum conscribendum compulerit, sic pergit: „Dum enim plerique ob sermonis barbariem philosophiae studia, antequam eorum fructus inenarrabiles noverint, primo conspectu refugiunt et abhorrent, fit, ut spreta sapientia circa inanes verborum flosculos et Sirenias fabularum illecebras tota vita sua voluptentur atque lasciviant, nihil firmi, nihil solidi, nihil denique umquam, quod animo salutare sit, amplectentes."

[23]) Cf. Hamelm. l. c. p. 267, Winiewski l. c. p. 17.

[24]) Cf. Foppens, bibl. Belg. (ex Valerio Andreae, Miraeo, Sweertio aliisque conscr.) p. 699.

tionis praerogativa." Qui tali modo erant promoti, et disputationibus publicis per unum saltem annum sedulo interesse et in bursa aliqua de literis scholas habere debebant[25]. Cui officio etiam Murmellius satisfecit[26], sine ulla dubitatione in docendis pueris rationes, quas in Hegii schola imbiberat atque etiam postea strenue sequebatur, inde ab initio amplexus. Sed eum ideo ex tota universitate eiectum esse, credat Hamelmanno qui vult. Equidem cum iis, quae supra de animo Murmellii eiusque cum Coloniensibus familiaritate dixi, commotus, tum quia ne verbo quidem umquam monuit, sibi a quoquam Coloniae iniuriam esse illatam, id quod Hamelmannus de turpi expulsione Murmellii commemorat, quodque omnes fere repetentes, si fieri potest, etiam in maius acceperunt[27], non dubito falsum declarare.

Mea quidem sententia Murmellius illam universitatem reliquit, quoniam, cum pauper esset de certa et stabilita conditione, qua haud dubie Coloniae non fruebatur, ei cogitandum erat[28]. Quam cur iuvenis optima indole praeditus Coloniae non invenerit, id investigari minus aequum videtur. Non omnibus statim in scholis Coloniensibus munus deferri poterat, ac, nisi vacabat, ne optimo quidem; Murmellius vero ipse propter paupertatem fortasse diutius manere non poterat[29].

Murmellius igitur Colonia relicta ad praeceptorem Hegium contendit spe ductus, fore ut sibi in eius schola inter magistros locus concederetur. Sed cum nullum munus vacaret, Hegius, quamvis vellet, votis optimae spei iuvenis ob-

---

[25]) Cf. Bianco, l. c. I. p. 127, 138.

[26]) Cf. Hamelm. l. c. p. 267. Ita eius verba intelligenda esse puto, ut non certo munere, sed quod transire solebat, fungeretur.

[27]) Sic inter alios Koenig, Geschichtl. Nachricht. über d. Gymn. zu Münster (Münst. Gymn. Progr. Jahrg. 1821 p. 129), Erhard, Erinnerungen an Rudolph v. Langen l. c. p. 42; Niesert, Murm. lit. Verdienste l. c. p. 21.

[28]) „Sed fortuna novercante compulsus sum alios docere, dum ab aliis mallem discere, et coactus profiteri artem grammaticam, dum magis cuperem audire dilucidam et sinceram sacrorum voluminum explicationem." Murm. Didasc. libr. l. c.

[29]) Neque Hegius, ad quem confugit, eum inter magistros scholae suae recepit. Et tamen sine dubio rideres, si quis eum ab Hegio repudiatum fuisse hac re concludere vellet.

sequi non potuit. In hac rerum difficultate cum dimissis Musis arma ferre meditaretur, Hegio circumspicienti, quomodo tanti ingenii iuvenem literis conservaret, intima familiaritas cum Rudolpho de Langen, qui modo scholam Monasteriensem ex humanistarum rationibus restaurandam susceperat, in mentem venit. Itaque Murmellium literis suis ornatum misit Monasterium.

III.

Quod tibi sim notus, dederis quod plurima crebro
Dona mihi, studiis debeo Pieriis.
Murmellius ad Rudolphum de Langen.

Notum est, Monasterii per virum excellentissimum Rudolphum de Langen, omnibus, quae officiebant, imprimis Coloniensis academiae reclamationibus (quarum quidem causa altius, quam ex librorum tum in scholis usitatorum utilitate repetenda est) feliciter superatis, scholam Cathedralem exeunte decimo quinto saeculo restauratam esse[1]). Ex commendatis ab Hegio viris potissimum propter „personam et gravitatem“ Timannus Kemenerus[2]) Wernensis, Hegii discipulus, scholae in sex classes divisae praefectus eligitur, cui

---

[1]) Cf. Hamelm., l. c. p. 265 sq.; Koenig, l. c. p. 235 sq.; Erhard, l. c. p. 39 sq.; Winiewski, l. c. p. 15 sq.; Cornelius, l. c. p. 6 sq.; Krabbe, l. c. p. 60 sq.; Rassmann, Nachrichten von Münsterschen Schulmännern aus dem 15. u. 16. Jahrh. (Jahresber. d. Realsch. zu Münster, 1862 p. 7 sq.); Parmet, l. c. p. 73 sq.

[2]) Kemenerus sive Kemnerus (Kemner) sine ulla dubitatione nomen scribendum est, non Camenevus, ut omnes fere secuti Hamelmannum scribere solent. Ad causas, quas Koenig attulit (l. c. p. 130), accedit, quod ipse ita se nominat in praefatione „Opusc. pulcherrimi et utilissimi de quatuor indeclinabilibus orationis partibus“, impr. Daventr. in off. Jac. de Breda (in bibl. Paul. s. Nro. d/73). Item in „Compendio grammatices“, impr. Colon. in offic. fil. Quentell 1509 (Panzer, Annal. Typogr. VI, p 366). Tum Murmellius hoc modo nomen scripsit in praef. „Opusculi de discipulorum officiis“, impr. Zwollis in offic. Petr. Os de Breda.

conrector additur Bernhardus Gweringius Monasteriensis. Lector tertiae classis factus est Joannes Hagemannus Monasteriensis, Joannes Peringius Burecensis quartae, Ludolphus Bavincus Metelensis quintae, ultimae vero Antonius Tunicius Monasteriensis[3]). Quorum cum plurimi iam in Hegii schola meliorem doctrinam imbibissent et libris deinde ex Langii consilio et auxilio in usum illius scholae editis[4]) emendatiori iuventutis eruditioni consulerent, Langius autem ipse in omnibus rebus auctor, hortator doctorumque virorum alter Maecenas existeret, laetissimis auspiciis mox illa schola efflorescere coepit.

Fortasse Langius in consilio suo exsequendo occupatus erat, cum ad eum intrat iuvenis decem et octo fere annos natus, militum more lanceam gerens, eumque carmine et soluta oratione alloquitur[5]). Obstupefactus prompta dicendi facultate eum ad prandium vocat atque de diversis inter coenam cum eo commentans rebus videt singulare iuvenis ingenium, memoriam praecellentem, eruditionem paene insolitam. Neque dimisit adolescentem *Joannem Murmellium*, sed ad consilia sua reservans domi alebat fove-

---

[3]) Cf. Hamelm., l. c. p. 266 sq.; Erhard, l. c. p. 40 sq.; Winiewski, l. c. p. 16; Krabbe, l. c. p. 62; Rassmann, l. c. p. 11—14; Parmet, l. c. 78. — Hamelm. et omnes post eum narrant, scholam Cathedralem anno 1498 his viris praepositis esse institutam. Utcumque se res habet, omnes quidem illi quos nominavi magistri nondum eo anno scholae praefuerunt. Peringius eodem anno 1498 Coloniae studiis operam dabat (cf. Krafft, „Mittheil. a. d. Matrikel d. alt. Univ. Coeln", 1, c. p. 471). Rector vero ipse Timannus expressis verbis in praefatione „compendii nat. philos.", impr. Colon. in offic. Quentell 1521 (in bibl. Paul), scripsit, munus ei anno 1500 oblatum esse.

[4]) Conrector Gweringius edidit: *selectiora et utiliora carmina ex tribus satirarum principibus* cum scholiis; ab Hagemanno *Plauti aulularia* discipulis proponebatur, postea cum scholiis eius edita; Peringius collegit: *selectiores sententias ex Laur. Valla*; Tunicius denique ex praecepto Langii: *versus proverbiales*. Unde quid in schola tum praestitum sit, colligi potest. — Cf. Hamelm. l. c. p. 267; Winiewski, l. c. p. 16.

[5]) Teste Hamelmanno Murmellius anno 1498 venit Monasterium. Si verum est, eum ab Hegio ablegatum esse ad Langium, hoc ipso saltem anno id factum sit, necesse est, quoniam exeunte hoc anno Hegius vita decessit (cf. comment. pars I, annot. 12 in fine). Tum vero, cum anno circiter 1500 demum scholae Cathedralis conrector factus sit (cf. annot 10), Langius eum duos fere annos domi aluit.

batque. Atque inde ab hoc tempore consuetudine et familiaritate doctissimi optimique viri usus et, quae omnium literas amantium usui semper aperta erat, bibliothecam eius, optimorum auctorum refertam operibus, diligenter perscrutatus Murmellius ingenii cultum perpolivit et absolvit[6]). Langius interim doctis in urbe viris eum commendabat, ex quibus haud ultimo loco ponamus *fratres* quos appellamus *communis vitae*[7]). Horum in ea urbe merita potissimum in describendis commodandisque libris cernebantur, qua in re eos optime de se meritos esse Murmellius ingenue professus est[8]).

Cum ita adolescentem ad consilia sua satis instructum perspexisset, Langius cum Gweringio conrectore egit, ut, quo melius sese rebus sacris dare posset, locum suum concederet Murmellio[9]). Ita ille anno 1500 factus est conrector scholae Cathedralis[10]). Quantas spes Langius in eo iuvene vi-

---

[6]) Langii bibliotheca a Murmellio et Hamelmanno pluribus locis splendida ac copiosa describitur. Cf. Murm. epist. moral. I. v. 24 (apud Erhard, Zeitsch. cet. l, c. p. 68); Hamelm. l. c. p. 263, p. 287. Multa Murmellii scripta satis demonstrant, eum optime illa bibliotheca usum esse.

[7]) Pauca tantum de congregatione fratrum in urbe Monasteriensi, *domum* quam vocabant *fontis salientis* incolentium, comperta habemus. Commentarius seu libellus memorialis, qui in Archivo publico Monast. asservatur, ab Erhardio in „Zeitsch. f. Vaterl. Gesch. u. Alterth." p. 88. sq. vulgatus est.

[8]) Cf. epist. ad fratres domus fontis salientis, praefixa „libro eclogarum," impr. s. l. et a. (Vide de hoc libro infra.) Inter alia ibi legitur: „Sunt vestra summa beneficia, non argenti, non auri, non denique vanissimarum rerum, sed librorum commodatione apud me collocata." Tum, postquam librorum „praeclaram supellectilem" valde laudavit, ita pergit: „Hanc autem librariam supellectilem omnibus metallis gemmisque ac rebus vulgi iudicio pretiosissimis longe pretiosiorem vos et optimam possidetis, et diligentissime ipsi evolvitis et studiosis et idoneis hominibus libenter communicatis, ut non immerito domui vestrae cognomen fontis salientis adhaereat. Sunt enim penes vos plurimi tam saecularium, quam sacrarum literarum libri, quibus clarissimas Ptolemaei Philadelphi et Pisistrati Atheniensium tyranni bibliothecas non voluminum quidem numero, sed utilitate postferre non dubitaverim."

[9]) Hamelm., l. c. p. 267; Winiewski, l. c. p. 17.

[10]) Eum prius magistri munus suscepisse, ut nonnulli ex Hamelmanno colligere videntur, mihi non verisimile est, cum eum eodem Hamelmanno auctore Peringius rectorque ipse antecesserint, qui quidem

ginti annos nato posuerit, ex eo optime iudicari potest, quod ei secundum post rectoris locum credere non dubitavit. Neque spes eum fefellit. Nemo enim negabit, scholam Cathedralem imprimis a Murmellio ad tantam gloriam ac laudem provectam esse, ut in remotissimis etiam regionibus adeoque ad Baltici maris oras nomen scholae Monasteriensis inclaruerit[11]), pleraeque urbes per Westphaliam eam sibi ad imitandum proposuerint exemplum, — ut denique, cum in Hollandia Hegio mortuo schola illa veterem amittere coepisset gloriam, Monasterium factum sit quasi altera Daventria. — Quid in schola iam primo tempore praestitum sit, ex scriptis praeceptorum, quae supra attuli, imprimis ex Murmellii operibus iudicari potest. Secundum institutionem religionis, quae, ut par erat, primum locum tenebat, lingua latina, — graeca tum fere omnino ignota paucis annis post (de qua re infra sermo erit) inter disciplinas recepta est — philosophia, poetica, rhetorica, dialectica tradebantur. Quomodo vero disciplina in schola tractata sit, satis intellegi potest ex Murmellii scriptis scholasticis. Praeter interpretationem grammaticam occurrunt synonymorum ratio, regulae

---

non ante hunc ipsum annum scholae praepositi videntur (cf. annot. 3). Haec nostra sententia insuper Chytraei auctoritate confirmatur, qui Murmellium ab anno 1500 cum Timanno Kemenero Monasterii studia rexisse tradidit (cf. Chytr. l. c. p. 143). Qua cum ratione etiam optime congruit locus quidam apud Hamelmannum exstans, ubi per annos duodecim Monasterii bonas literas professus esse dicitur (cf. Hamelm. l. c. p. 128). Nam infra demonstrabimus, eum re vera ineunte anno 1513 Monasterium reliquisse neque, ut Hamelmannus alio loco — miror, quanta inconstantia — tradidit, anno 1514, postquam „per undecim annos conrector scholae Cathedralis, per triennium scholae Ludgerianae rector fuisset (cf. Hamelm. l. c. p. 172).

[11]) Ex Pommerania Joannes ille Bugenhagius inter alia sic scripsit ad Murmellium: „Habes et nunc Joannem unius mecum cognominis, patruelem meum perdilectum, cuius socii Andreas, Joachim et David mei fuerunt discipuli, quos, *ut te adirent doctioresque evaderent*, quis monuerit, ipsi dicant. Ego praeterea quos adhuc habeo discipulos hortari soleo, cum vel opuscula vel commentaria tua eis lego aut interpretor, *ut te tandem visant*. Hortatu meo moti complures Monasterium *tui gratia* peterent, si non inopia rerum esset impedimento.“ Epistulam hanc ex Murm. Epist. moral. fol. II. c communicavit Erhard in „Zeitschrift. ..“ I, p. 62.

metricae in explicandis poetarum operibus, res mythologicae et historicae explanatae, similes loci aliorum auctorum allati. Sex horae, quibus in universum quotidie scholae haberi solebant, propter cultum ecclesiasticum ita erant dispositae, ut discipuli ab hora sexta usque ad octavam, a meridie ad secundam horam postmeridianam ac deinde a quarta usque ad sextam scholis interessent[12]). Quoniam igitur in singulis classibus unus tantum praeceptor docebat, cui ob eam rem tota disciplina erat tradenda, conrector Murmellius sex horas plerumque in dies officiis scholasticis et quidem in secunda classe impendebat[13]). Ex epistula quadam a Langio ad Murmellium missa[14]) comperimus, hunc inter alios auctores Severini Boethii de consolatione philosophiae librum, quem postea etiam commentariis illustravit, discipulis enarrasse. Iuvenem vero tot negotiis distentum, cuius tota vita quasi inter scholae parietes iucludebatur, sane mirum videtur, tam multa scribere potuisse studiosae iuventuti utilissima. Haec scripta, quorum nonnulla iam artos scholae fines transgrediuntur, quantum per vires licet, afferre ac, quo melius vitam auctoris cognoscamus et perspiciamus, tempus, quo singula sint composita, ubi fieri potest, exquirere imprimis nobis erit propositum. Quae ut iusto iudicio censeamus, neve nonnulla fortasse contemnamus, necesse est, nostra antiquas literas tractandi longe diversa ratione praetermissa, ad id animum advertamus, quod illis studiorum initiis flagitatum sit.

Literarum agitationem scimus non tam ab academiis quam a scholis inferioribus profectam esse. Quae cum omnes fere tum miro modo depravatae essent, primaria Murmellii cura esse debebat, ut puerilis institutionis ratio emen-

---

[12]) Hoc elucet ex ratione scholarum a Kerssenbrockio rectore anno 1551 praescripta, in qua humanistarum institutiones in universum conservatas esse pro certo haberi potest. Indicem hunc, qui in Driveri bibl. Monast. p. 165 invenitur, in germanicam linguam verterunt Koenig, geschichtl. Nachrichten, p. 147; Krabbe, gesch. Nachr., p. 73.

[13]) Murmellius hoc ipse dixit in inscriptione carminis modo laudandi in urbem Monasteriensem (cf. annot. 38).

[14]) Invenitur una cum compluribus aliis epistulis in Murm. Epist. moral. libro, impr. Daventr. in offic. Alb. Paffraet, unde eam exscripsit Erhard in „Zeitschr. ..“ l. c. p. 60.

daretur et sic futurae rerum mutationi prospiceretur. In plerisque scholis etiamtum pueris libri tradebantur supra quam credi potest inepti, qui vel ipso nomine originem et naturam declarant. Ex his fuerunt, ut tristissimos tantum commemorem, *Disciplina scholarium*, *Vocabularius breviloquus cum arte diphthongandi, punctandi et accentuandi*, *Moretus*, *Florista*, *Teutonista*, *Catholicon;* in rhetorica imprimis Everhardi cuiusdam opusculum, qui, ut Caesarii verbis utar, ob rem a se obscurius fortassis traditam, librum *Labyrinthi* nomine inscripsit; — *Mammothreptus* sive *Mammotrectus* vel *Mammaetractus*, et praeter ceteros libros omnes *Alexandri de Villa Dei, Dolensis, Doctrinale* versibus leoninis scriptum, quod inde ab anno 1240 mira regularum colluvie discipulos misere excruciavit[15]). Quos libros auctoritate, quam per compluria saecula nacta erant, inveteratos ac veluti sancitos non facile hominibus persuaderi poterat esse ineptos: nam unde maiores sui literas didicissent, quibusque ipsi eruditi essent, eos etiam liberis suis satis praebere eruditionis omnes consentiebant. Praeterea eo magis hi libri alieno plerorumque in humanistas animo protegebantur, quo multos a religione christiana paullatim alienatos videbant. Nonne ex ipsa rei natura sequitur, ut haec aspernatio a personis etiam ad studia, in quibus versabantur, transiret? Itaque nonnulli viri docti sibi iam satis audaces visi sunt, si graviores tantum errores, quibus scatebant illi libri, corrigerent. Quid? quod Torrentinus etiam anno 1508 Doctrinale Alexandri „tertio castigatum emendatumque“ edidit[16]). Quamvis, ut

---

[15]) Hos et plures alios libros scholas tum occupasse inter alios conquestus est ille Caesarius Iuliacensis in Dialecticae (impr. Colon. 1559) tractatu IX: „Atque, proh pudor!“ exclamat, „dum in his scholis nugae illae leviusculae veluti imperiose docebantur, optimi quique bonarum artium authores in pluteis et sub scamnis delitescebant, situ et pulvere obducti et, quod etiam miserabilius est, esca blattis et tineis.“ Cf. praeterea Murm. Scoparius, impr. Colon. 1518, fol. 5 b, 11 a; Hamelmann. multis locis, Burckhard, „de linguae latinae fatis,“ p. 284 sq.

[16]) „Herm. Torrentini inter grammaticos nostrae tempestatis viri literatissimi, commentaria in primam partem Doctrinalis Alexandri cum accuratissima vocabulorum interpretatione, quibusdam mendosis, supervacaneis et obscuris versibus vel reiectis vel in veriores et planiores mutatis. Sunt autem haec commentaria tertio castigata diligenterque ab

ipse dicit, „parce et caute rem egisset, ne sua innovatio multorum reprehensionem incurreret, et ibi dumtaxat correxisset, ubi maxime necessarium videretur," tamen coactus fuit contra obtrectatores apologiam scribere[17]). Ut autem liber umquam e scholis nostrae regionis eiiceretur, vix effici posse censebat[18]). Quin etiam a nova schola Monasteriensi, quamvis optime ad humanistarum rationes instituta esset, tales libros iam ab initio plane amotos esse, non possum adduci ut credam. Rector ipse Timannus Kemenerus operae pretium duxit, librum „in medullam quatuor operum Alexandri Galli" conscribere[19]), et ea re opinatus est „compendium suum etymologiae et syntaxis" commendari, si in eo quidquid esset apud Alexandrum ordine comperiretur[20]). Vel ipse Murmellius nisi paullatim a generali opinione sese abdicare non potuisse videtur. Aliter enim ad commendandos Torrentini commentarios epigramma non scripsisset[21]). Etiam hoc fortasse notabile est, eum in primis Mancinelli Versilogi editionibus Alexandrum Gallum „artis versificandi peritissimum" nominasse, quae verba in posteriore editione anno 1510 parata delevit[22]). Attamen neminem opinor ad hos libros e

---

ipso auctore recognita." Impr. Colon. 1508. (Exstat huius editionis exemplar in bibl. Paul.)

[17]) „Apologia Herm. Torrentini obtrectatoribus respondentis" invenitur in comment., quos nominavi fol. LXXXII.

[18]) Dicit Doctrinale illud ex Italiae scholis explosum esse. „Quod ipsum quidem," inquit, „nostris regionibus factu difficile ac paene impossibile videtur ... Alexandrum ediscere et ad unguem intellegere plerique intra septennium vix possunt." — Simili modo Murm. in Scopario, fol. 5 b.

„Barbaries linguae tantis radicibus haeret,
Evelli ut nullo fixa labore queat."

[19]) Huius scripti, nusquam alibi inter Timanni opera memorati, ipse mentionem fecit in praef. „Opusculi de quatuor indeclinabilibus orationis partibus," quod infra etiam nobis erit afferendum. (Cf. annot. 79.)

[20]) Sic in inscriptione legitur huius operis, impr. Daventr. in off. Jac. de Breda, 1502. (Invenitur in bibl. Paul. s. Nro. d/79)

[21]) Epigramma hoc Torrentini commentariis praefixum incipit:

„Dux etenim nobis doctissimus Hegius ille
Praeceptorque fuit, quem comitasse iuvat."

[22]) Cf. Antonii Mancinelli Veliterni Versilogus, impr. Daventr. in off. Rich. Pafraet 1507, fol. 3 b, et editio correcta, impr. Daventr. in off. Jac. de Breda 1510. (Utriusque exstat in bibl. Paul. exemplar.)

scholis Germaniae eliminandos plus contulisse et prosperiore successu usum esse, quam eundem Murmellium; hocque inde factum est, quod justam viam ac rationem iniit. Vi et quasi uno impetu expelli non poterant, et si verum est, mihi quidem valde dubium, quod Hamelmannus narrat, Buschium, ubi primum in singulas urbes venisset, tantum valuisse, ut sine ulla mora isti libri abolerentur, singularis re vera fortuna ei contigit. Certe non satis erat istos repudiasse; atque nullam omnino utilitatem, sed potius haud parvum detrimentum antiquis literis laete efflorescentibus attulit multorum humanistarum furor, qui omni humanitate exuta in usitata puerilis institutionis via perseveraturos probris et maledictis increpabant. Homines sibi persuaderi volebant, et ad hanc persuasionem paullatim tantummodo adduci poterant. Animi plurimorum in novam studiorum rationem offensiores erant colligendi ac placandi, multae opiniones confirmatae antea superandae. Eos intellegere opus erat, etiam in antiquitate quasi defixos bonos christianos esse posse, etiam antiquis studiis ardentissimo amore sese dedere posse bonos viros neque eos in veri Dei cultu minore aut languidiore studio esse. Cui tamen rei demonstrandae haud facile quisquam magis idoneus fuit Murmellio, qui et iuvenili ardore atque optimo ingenio antiquitatis thesauros amplexus perscrutatusque et simul nullo temporis momento a vera religione, ad quam omnia studia referebat, abductus[23]) id vere de se praedicare potuit, quod paullo antequam vita

---

[23]) „Finis", inquit, „studiorum tibi non alius, quam Dei cultus constituendus est. Illi soli reste sapiunt, qui bonis artibus student, ut et ipsi bene vivant et ceteros ad iustitiam pietatemque docendo adhortentur." Cf. Didasc. lib. II. 17. — „Nihil est perniciosius homine docto et malo" legitur in Opusc. de discip. officiis, impr. Zwollis s. a. cap. 22. — Et in eiusdem libri cap. 7: „Illud etiam minime praetermittendum censeo, quod ad literarium profectum religiosus optimae maximae Virginis Dei matris cultus, pia quoque Hieronymi, Catherinae aliorumque Divorum veneratio plurimum confert. Quod enim homini per ingenii tarditatem capere non licet, eorum suffragiis plerumque consequitur." In Eclogarum libro dicit: „Ignorasse quidem melius, quam dicere culpa." Vide eclog. 7. — Simpliciter simul et pulcherrime virtutem laudavit versibus:

„Jure virtuti nihil antefertur,
Cuius ad lucem neque margaritum

decessit ad Hermannum Stuvium amicum scripsit[24]): „Quantis olim studiis extra literarios puerorum ludos eliminandae barbariei flagrem, quantumque curae, operae, diligentiae sedulo in id unum conferam, ut discipuli nostri tum compendiosis, tum facilibus et intellectu praeceptis et memoratu brevi sic proficiant, ut iactis fideliter fundamentis quodlibet excelsioris disciplinae genus citra ruinae metum superstruere possint: e multis unus, mi suavissime Stuvi, testis es et praedicator non minus idoneus quam benevolus.“ — Ad coniungendam antiquarum literarum vim ac pulchritudinem cum christiana doctrina rationeque a praeceptoribus institutus et deinde Langio duce, si fieri poterat, magis etiam confirmatus pretiosas earum formas ornatum putabat, quibus christianis sententiis maior splendor ac vis subiiceretur[25]).

Candet, et quidquid populo videtur
Nobile sordet.“

Cf. Didasc. libr. II, 4. In Carmine protreptico, impr. Monast. 1509, sic iuventutem adhortatur:

„Da pulchris operam tenero, puer, artibus aevo,
Sis pius imprimis et venerare Deum;
Tempus ut unda fluit, virtus est optima rerum,
Cetera cum pereant, ars pietasque manent.“

Multos alios locos, imprimis ex elegiis eius moralibus, quae pium ac divinae spei plenum animum spirant, afferre possum; sed ad perspiciendum animum religioni deditum hi iam sufficere videntur.

[24]) Invenitur epistula anno 1517 scripta ante Tabularum opusc. tria, impr. Colon. typis Eucharii Cervicorni. (Exstat huius editionis exemplar in bibl. Paul. s. Nro. d/77).

[25]) Animadvertenda sunt verba, quae in eius Scop. fol. 23 a leguntur:

„Dum datur, o iuvenes, varias ediscite linguas,
Certatimque sacris invigilate libris.“

Quanti habuerit sacras literas elucet imprimis ex Eleg. Moral. II. 9, ubi dicit:

„O quam iucunda est sacrarum lectio rerum,
Quae numquam satiat, semper amore capit,
Alma theologia est vel summo carmine digna,
Praedita sublimis cognitione Dei.
Verus in hac sophiae fons est et vera salutis
Aeternae methodus, certus ad astra gradus.“

Neque ut consuetudini et mori satisfaceret, sacris literis vacabat, ut multi humanistae, quorum Buschius hoc audacter ipse de se monuit (cf.

Minime fugit eum ministrorum ecclesiae multorum mira ignorantia et quae inde secuta est summa morum depravatio et foeditas, quam rem saepe graviter conquestus est[26]); sed bene idem didicerat medullam ab osse, ut ita dicam, distinguere. Vitia ac res pessimi exempli, quae ecclesiae obrepserant, ut omnes boni viri, sentiebat esse corrigenda; animo autem puriore erat, quam ut ullo temporis momento ea, quae ab ecclesia tradebantur et praecipiebantur, aggredi secum cogitasset[27]). — Quae ipse a bono praeceptore postulavit[28]), haec in eo fuerunt: mores castissimi, doctrina exi-

---

epist. qua J. Rinco Coloniensi „Triplex Hecatostichon de divae virginis Mariae psalterio" dedicavit, quod carmen postea denuo a Murmellio editum est), sed quidquid de religione protulit, ex animi sententia scripsit.

[26]) Exempli gratia in praef. comment. Hieronymi ad Nepotianum libri (vide de hoc Murm. scripto annot 47 ...) verba inveniuntur: „Sicut in omni saeculo rari poetae, rari philosophi, rari probatae vitae homines fuerunt, ita et in hac aetate nostra ecclesiasticos viros extra monasteria bene honesteque viventes, adeo difficile est invenire. Paucissimi namque sunt et hi omni laude et honore digni; ceteros duo pestilentissima humani animi vitia, luxuries et cupiditas, quae sibi invicem alimenta praebent, fere omnes occuparunt." — Stomacho ei erat inscientia sacerdotum: „In hominum illiteratorum numero si non sunt hi habendi, profecto, nescio, qui sint habendi, quorum primus in epistolio ad me dato non tribus verbis longiore serie erravit insigniter. Ut ad errata leviuscula conniveam: nam „recommodatione" usus est pro „commodatione" — quid autem? conquerasti protulit pro conquestus es. Miror e quibus tabulis didicerit declinandum esse: conquero, conqueras, conquerare; qua declinatione si quis puerorum vel infimae classis in ludo literario uteretur, certe ferula verberandus esset a magistro. — O dignum Prisciano mastiga, cui res ecclesiastica credatur administranda." Cf. Murm. Scop. fol. 23 a. — Alio loco exclamat: (Cf. Eleg. moral. IV. 5.)

„O quales vulgo templi spectare ministros
Cogimur insulsos grammaticaeque rudes;
Hic coquus, hic structor Romae fuit, alter agaso:
Provehitur quisquis maxima dona dedit."

[27]) Nihil, quod ab ecclesia Romana approbatum non fuisset, sese umquam accepturum vel docturum profitetur in fine comment. in Boethium de consol. philos., impr. Daventr. in offic. Alb. Pafraet. (Ex bibl. sem. Cleric. Episc. Monast.)

[28]) „Ludi grammatici magister esto
Morum discipulis tuis probatum
Exemplar, quod ament, colant, sequantur.
Fac semper magis expetas eorum

mia, indefessum studium, quasi parentis erga discipulos amor. In omnibus vero, quae tradebat, illud Horatii ante oculos habebat[29]):

„Quidquid praecipies, esto brevis. ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles.“

Denique, ut Gervasii Sopheri verbis utar, politioribus literis ampliandis et adiuvandae studiosae iuventuti natus erat[30]).

Praeter haec studia enitebatur contendebatque, ut ad ea, quae ab humanistis summa putabantur, perveniret: ut latina carmina quam emendatissima componeret[31]). Quae res, omnium tum virorum doctorum propria, ita ex temporum illorum ratione pendet, ut etiam ii, quibus nihil minus, quam haec ingenii vena contigerat, Musis distichon vel odam aliquam consecrare se debere arbitrarentur. Sed etiam hac ingenii facultate Murmellius non mediocriter a natura praeditus erat. Multa carmina eius fieri non potest, quin pulchra et praeclara censeamus; ex omnibus autem animus a rebus commotus elucet. — Quidquid autem conscripsit et carmine et soluta oratione id totum Langii consilio fecit, quem unum audiebat sequebaturque in omnibus disciplinis tradendis per totos illos quos Monasterii egit quatuordecim annos[32]). Eum per literas adibat vel

---

Profectum, tua quam lucella quaeras.
Mercatoris enim est amare quaestum,
Doctoris studium piamque vitam;
Mercedem meritis Deus rependet.“

Cf. Murm. Scop. fol. 5 b. — Plura praecepta ad artem educandi pertinentia infra afferam (cf. pag. 40 sq.)

[29]) „Mihi nunquam placuit mos eorum, qui tenera puerorum ingenia praeceptis parum necessariis onerant, quique circa grammatices rudimenta maximam vocabulorum congeriem tradentes quasi dedita opera remorantur ab auctorum lectione studiosam et politioribus iam studiis vacaturam iuventutem.“ Cf. praef. Tab. opusc. trium.

[30]) Gerv. Soph. in edit. Murm. Pappae, Argent. anno 1521 parata.

[31]) Ad hoc iuventutem summopere adhortatur: „Humanitati magis magisque incumbe ac totos nervos ad id contende, ut carmina Apolline digna moduleris.“ Cf. Versif. artis rudim. impr. una cum libello de hymnis ecclesiast. fol. 7 a. (Exst. in bibl. Paul. s. Nro. d/73.)

[32]) Hamelm. l. c. p. 275: Winiewski l. c. p. 19; Parmet l. c. p. 52. Murmellium quatuordecim annos Monasterii fuisse recte annotasse vide-

praesentem petebat cum eoque conferebat, si quid modo in illo, modo in alio scriptore aut poeta recte explicando haereret[33]), eum denique, ut non iniuria Buschius dixit, velut Delphicum quoddam oraculum observabat[34]). Sed iam ad singula scripta transeamus.

Studiorum primitiae fortasse sunt *commentarii in Antonii Mancinelli Versilogum*, quos Panzer iam anno 1500 Monasterii editos esse annotavit[35]). Quae sententia ea quoque re probabilis videtur, quod Hamelmanno auctore Horlenius ad commendandum librum epistulam praemisit, quae quidem in sequentibus, quibus usus sum, editionibus non invenitur. Anno 1507 Versilogum denuo edidit, una cum carmine in urbem Monasterium composito. Commentarios suos deinde anno 1509 recognovit et correxit[36]). Italorum libri ad grammaticam pertinentes apud Germanos mox multum valere coeperant, eorumque studia excitabant. Conatus, quos ad certas leges in arte metrica constituendas capiebant, non effugerunt Murmellium. Versuum leges non ignorans ad intellegenda poetarum monumenta studiosae iuventuti maxime necessarias esse idemque Mancinelli libellum[37]) ad eas pueris

---

tur Hamelmannus, quamvis iis, quae praeterea tradidit, plane repugnet haec computatio, de qua re infra disseremus.

[33]) Demonstratur hoc inter alia epistulis Langii ad Murmellium, quas ex Murm. Epist. moral. exscripsit Erhard l. c. p. 50 sq.

[34]) In epicedio sive carmine funebri de morte Murm. (In bibl. Paul.)

[35]) Panz. Annal. typogr. II, p. 145. — Niesert, Beiträge zur Buchdruckergesch. Münsters, Coesfeld 1828 p. 8. — Parmet l. c. p. 149, nota.

[36]) Duo exemplaria ambarum editionum asservantur in bibl. Paul. Titulus prioris accurate scriptus hic est:

„Antonii Mancinelli Veliterni Versilogus optimo compendio artem versificandi tradens studiosoque scholastico imprimis necessarius, cui adiecti sunt breves et utiles commentarii. Carmen item sapphicum in urbem Monasteriensem ab Joanne Murmellio citissimo impetu effusum.“ Impr. Daventr. in offic. Rich. Pafraet, 1507. 4. 20 fol. — Inscriptioni alterius editionis, impr. Daventr. in offic. Jac. de Breda, 1510. 4. 17 fol., adiecta sunt verba: „diligenter recogniti atque ad unguem castigati.“ Epistulae, qua eam editionem Petro Nehemio Drolshagio dedicavit, annus est adscriptus 1509. Hoc ipso anno librum Monasterii exisse affert Panzer l. c. VII, p. 423 Nr. 3.

[37]) Ex epistula Mancinelli, quae in fine edit. Murm. invenitur, apparet, eum Versilogum hunc anno 1488 conscripsisse.

demonstrandas ob brevitatem aptissimum iudicans, illum commentandum suscepit. Quo rationes, quas in scribendo secutus sit, magis intellegamus, animadvertenda sunt verba in fine commentariorum posita: „Hos equidem commentariolos breves esse volui, neque studium fuit ex alienis, quaecumque potuissem, conquisita conquirere.“

Anno 1503 composuit illud *carmen in urbem Monasterium*, ex quadraginta fere strophis sapphicis constans[38])

---

[38]) De editione carminis vide annot. 36. Illa vero prima editio, ut infra intellegemus, non erat. Inscriptio carminis haec est:

„In urbem Monasteriensem Westphaliae metropolim, opulentia doctisque ac prudentibus hominibus insignem, Ode sapphica ab J. Murmellio, cum certamen cum Georgio Sibutio inisset quamvis sex horas scholasticis officiis impenderet, intra unius lucis spatium quarto Nonas Julii effusa MCCCCCIII.“ — Murmellius postea in epistula ad Henr. Cellarium amicum – invenitur ante Buschii carminis modo laudandi editionem Murmellianam — aegre tulit, quod carmen vitiose typis exscriptum esset: „Quod (carmen),“ inquit, „si quando legeris, Henrice literatissime, menda ab impressoribus admissa mihi ne imputes, rogo. Sic quidem inter cetera deprehendes „Lucie“ pro „Quae“ suppositum. Cum enim „Quae“ quatuor literis exaratum esset, quisquis ille fuit, Q in L et a in c atque i mutavit. Reliqua per te facile, ut emendanda sint, pro tui ingenii solertia videbis.“ — Cum haec eum scripsisse anno iusequenti post compositum carmen, anno nempe 1507, ex epistula illa conspicuum sit, editio igitur Daventriae anno 1510 parata non prima fuerit, miror impressorum incuriam, quod idem ipsum a Murmellio vituperatum et tam manifestum mendum, etiam in hanc editionem transiit. Ex hac Daventriensi editione carmen nostro saeculo denuo edidit Niesert (Beiträge z. Buchdruckergesch. Münst. p. 185), et deinde, textu ab illo constituto usus Cornelius (die Münst. Hum. p. 61.); sed, quod dolendum est, Niesert partim vitia vitiosi exemplaris ultro etiam auxit, partim versus licentius immutavit. Ad hoc demonstrandum pauca proferam. — Primam secundae strophae versum Niesert — Cornelius in omnibus quas afferam rebus eum subsecutus est — ita scripsit:

„Lucis hesternae nimiis Bacchi“

Sane sic metro sapphico repugnat versus. Quid autem? quod hanc lectionem minime praebet exemplar, sed potius veram „Jacchi.“ — Quartae strophae versum:

„Ennius numquam nisi potus arma,
Nobilis vates, cecinisse fertur“

mea quidem sententia sine causa sic mutavit Niesert:

„Ennius numquam nisi potus, armis
Nobilis vates, cecinisse fertur.“

Quamvis interdum spiritus acer et altius surgens animus deprehendatur, imprimis ubi Langii protectoris et rectoris Timanni laudes dicuntur, tamen hoc carmen, aliis plurimis eiusdem auctoris collatis carminibus, fieri non potest quin procul recedat. Sed nos illud hac aestimatione metiri non aequum est. Non praetermittamus, cum poematum experimenta facere tum modo coepisse. Praeterea ipse confessus est, cum certamen cum quodam uberrimi ingenii viro inisset, intra unum diem (furore poetico scholasticis officiis nimirum satis temperato) non tam componere, quam praecipitare versus se coactum fuisse[39]).

Ne in laudanda aliena urbe patriae oblivisci videretur, insequenti anno *Hermanni Buschii in urbem Ruremundam*, in qua ille paullisper commoratus est, scriptum *carmen* misit ad Henricum Cellarium amicum, subiiciens suam *odam de duplici voluptate* sapphico item metro compositam[40]). — Hoc iam tempore conscribendis quatuor elegiarum moralium libris operam dabat[41]), quos, cum doctorum virorum approba-

---

In strophae octavae versibus:

Nec sui glandes, nec amoena desunt
Pascua bobus"

pro „sui" (dat. sing.) posuit „suis," quae forma mum omnino pro „suibus" vel „subus" inveniatur, mihi valde dubium est. — In ultima stropha, quae incipit:

„Te satis Clio atque super probavi"

vocabulum „atque" omisit, quare non mirandum, quod versus non currit. Sed haec hactenus.

[39]) Cf. epist. ad Henr. Cellarium l. c. et annot. 38.

[40]) Editionis, cuius exemplar in bibl. Paul. exstat, — ceterum haec non est editio orig. — accuratum titulum infra ponam. (Cf. annot. 47.) — Cur vel invito auctore, qui causa incerta inter cetera carmina vulgata illud non recepisset, carmen edidisset in epist. ad Henr. Cellarium hac excusaone usus est: „Videor, nunc quodam iure id facere, qui vicissim illius patriam urbem Monasteriensem, in qua literas olim profiteor, *superiori aestate* laudaverim eodem carminis genere, licet non pari elegantia. Ex his verbis simul colligi potest, carmen anno 1504 eum edidisse, quamquam id nusquam alibi annotatum inveni.

[41]) Hoc perspicitur ex epistula, quam laudavi, ad Henr. Cellarium, ubi dicit: „Ceterum Buschiano carmini meum quoddam de duplici voluptate itidem sapphicum subieci, ut nunc meorum quoque carminum quasi gustum quendam haberes, plenam mercem cum auctario tum demum re-

tionem nacti essent, anno 1507 in lucem misit. Quae elegiae, quarum pleraeque sine ulla dubitatione absolutissimis, quae composuit, carminibus annumerandae sunt, infra accuratius nobis erunt introspiciendae.

Eodem anno 1504 ad iuventutem, ut bonis literis studeret, adhortandam libellum edidit, eidem Henrico Cellario dedicatum, quem inscripsit: „*Aurea bonarum artium praeludia*“[42]). Praeclaram ibi philosophiae laudem tribuit et hanc qui neglegeret, eum nihil firmi, nihil solidi, nihil denique umquam, quod animo salutare sit, amplexurum dicit. Praeterea hoc anno commentationem grammaticam *de verborum compositis et de verbis communibus ac deponentialibus*, quam iam antea edidisse videtur, correxit et amico suo Ludolpho Heringio Hammonensis scholae rectori inscripsit[43]). Quantam laudem hoc libro assecutus sit, iudicari potest ex his verbis quibus in dedicatione scholiorum suorum in aliquot carmina Langii eum allocutus est Petrus Nehemius Drolshagius[44]): „Vidi tua et legi opuscula de verborum compo-

---

cepturus, cum *quatuor elegiarum moralium libri,* qui adhuc in manibus nostris sunt, lectoris iudicio fuerint expositi.

[42]) Editio enim rarissima, cuius exemplar in bibl. Paul. asservatur, una cum Philippi Beroaldi de felicitate opusculo Daventr. in offic. Rich. Pafraet 1504. 8 4 fol. typis expressa prima fuisse videtur. De aliis editionibus nihil annotatum inveni, quin immo huius libelli praeter Rassmannum (Nachrichten v. Münst. Schulmännern, Progr. der Realschule zu Münster, Jahrg. 1862 p. 17) nemo, quantum scio, mentionem fecit. In fine editionis, quam memoravi, fol. 8 alter titulus affertur „*Libellus de philosophia et eius partibus,*“ haud dubie ex summa argumenti sumptus.

[43]) Editionis anno 1504 adornatae exemplar invenitur in bibl. Paul. s. Nro. d/73. Inscriptio est: „Opuscula duo Joan. Murmellii extrema manu absoluta: unum de verborum compositis, alterum de verbis communibus ac deponentialibns.“ Impr. Colon. in offic. Quentell 1504. 4. (Editio haec originalis a nullo annotata est.) Praeter hanc duae aliae editiones in bibl. Paul. sunt: Coloniensis (Martin. de Werdena), 1511. 4; Monasteriensis (Joan. Ossenbrug), 1562. 4. (Eam Bernh. Lingius, scholae illius urbis Kerssenbrockio rectore diu conrector, paravit.) — Praeterea liber editus est: Daventr. (Theodor. de Borne), 1519 IV. Cal. Jun. 4, praemissis a Murmellio legibus, quae in schola Alcmariensi exercerentur (cf. Erhard, Zeitschrift l. c. p. 67); Lips. (Valent. Schumann), 1519, 4 (cf. Panzer l. c. X. p. 531); ibidem 1520, 4 (cf. Panzer l. c. Hamelm. l c. p. 105).

[44]) Cf. Hamelm. l. c. p. 103.

sitione conscripta utilissima, quae nuper in lucem edideras et plura alia tum oratione tum carmine contexta. Quam ob rem non possum tibi non gratulari, te tantum apicem ascendisse ... Opinor equidem te, ut ioco absim, non labra tantum proluisse in Helicone et fonte caballino, sed totum caput corpusque, quandoquidem, qui tantis curis, negotiis et occupationibus conficeris, adhuc lectu dignissima in medium affers posterisque communicas.“ Hoc opusculum magnam auctoritatem adeptam esse demonstrant praeterea variae editiones usque ad dimidiam illius saeculi partem paratae.

Interim schola Monasteriensis per *Ioannem Caesarium Iuliacensem* maiorem famam nacta erat. Qui vir optimus et doctissimus, Colonia relicta cum anno 1504 Monasterium advenisset, a Langio familiariter receptus, Graecam linguam illis temporibus fere omnino ignotam in schola eodem Langio auctore subsecivis horis docere coeperat magna cum gloria, quippe quem in discipulorum sedentes subselliis audirent et rector Timannus et Murmellius ceterique collegae cum infinito iuvenum numero[45]). Quamquam hic vir egre-

---

[45]) Hamelm. l. c. p. 268. Winiewski l. c. p. 18; Parmet l. c. p. 86. Quae praeterea Hamelm. de Caesario narravit, partim omnino falsa, partim valde incerta et ambigua sunt. Eum Colonia eiectum esse, ut secundum Hamelmannum fere omnes humanistae, qui ibi fuerunt, mihi dubium videtur (cf. comment. cap. II p. 19 et annot. 20.), vel ea causa, quod paullo post eo rediit. Ut autem anno 1504 ad Hegium venisset eiusque literis ornatus esset, prorsus fieri non potuit, quoniam Hegius tum sex fere annos mortuus erat, et miror, quomodo Rassmannus haec et alia ab Hamelmanno excipere potuerit (cf. Rassm. l. c. p. 17.), quippe qui non ignorarit, Hegium iam anno 1498 vita decessisse (cf. Rassm. l. c. p. 8, nota). Quin etiam Caesarium omnino Hegii discipulum fuisse, quae secundum Hamelmannum omnium sententia est, ut negem, movent me Caesarii ipsius verba: „Alexander Hegius *nostra fere aetate* apud Daventriam haud incelebris gymnasiarcha, vir alioquin inter priscos philosophos connumerandus, et post hunc Jacobus Faber Stapulensis, observandissimus quondam praeceptor meus, cum Parhisiis (sic) Philosophiae studiis operam navarem, ... longe aliter hunc locum exponunt etc. (cf. I. Caes. Dialectica, excus. Colon. in offic. Petr. Horst 1559, tract. IX. (Ex bibl. Paul.) — Cum anno 1551 senex XCI annorum vita decesserit (cf. Chytraeus l. c. p. 460, Harzheim l. c. s. v. Caes.) anno 1460 natus est; itaque quo tempore Hegius scholam aperuit, quod anno 1475 factum esse

gius parum diu Monasterii commoratus est, revocatus paullo post honorifice Coloniam: quae sparserat semina laete se effundebant; auctoritas, quam adeptae erant graecae literae, inde ab hoc tempore inter disciplinas receptae, non iam exstincta est. Ita scholae illi, ut inter primas, quae ex humanistarum rationibus reformatae sunt, minime extremum locum tenet, id etiam gloriae est, quod in numero primarum erat, in quibus Graecae literae tradebantur. — Hagemannus interim Caesario duce tantum profecerat, ut, cum ille ex schola recessisset, vices illius subire posset. Non est dubium, quin Murmellius etiam apud Caesarium, cuius amicitia semper usus est ac praestantia literarum studia plurimi duxit, graecae linguae scientiam magis excoluerit.

Anno 1505 edidit Murmellius *commentarios in epistolam St. Hieronymi ad Niciam*, in quibus praecepta de scribendis epistulis dedit[46]).

Fortasse hoc tempore etiam *commentarios in St. Hieronymi librum de sacerdotum officiis* et illud elegantissimum opusculum, cui sua de educatione ac disciplina iuditia man-

---

supra demonstravimus, quindecim annos compleverat. Parisiis, ut verbis supra allatis dixit, Jac. Fabro praeceptore usus est. Postea, anno nempe 1491 Coloniae in album universitatis relatus est. (Cf. Krafft. l. c, p. 469.) Artissimo amicitiae vinculo cum Erasmo coniunctus erat et Murmellio, cuius commentarios in Boethium scriptos, de quibus integritati restituendis iam multo ante Murmellii ipsius iudicio optime meritus erat (cf. comment. cap. II. annot 17), anno 1535 denuo edidit (cf. comment. cap. IV. annot.). Semper pauper mansit et aetate provecta, postquam luminibus oculorum captus aliquamdiu liberalitate familiae de Neuenaer sustentatus est (vide Caes. epist. ad J. a Lasco anno 1548 missam, apud Gabbenna, epp. illustr. vir.), in domo Hieronymianorum anno 1551, ut supra dixi, supremum diem obiit. Merita eius de literis, imprimis de graeca lingua in nostris regionibus propaganda maxima sunt. Praestantissimus Coloniensis humanista fuit, cuius nomen solum iam sufficit ad studia humanitatis Coloniensia cum Monasteriensibus digne conferenda.

[46]) „In epistolam divi Hieronymi ad Niciam, Aquilegensis ecclesiae hypodiaconum commentarioli duo Joan. Murmellii, in quibus pleraque traduntur scribendis eleganter epistolis idonea.“ Impr. Colon. in offic. Henr. Quentell 1604. 4 (Exstat huius editionis exemplar in bibl. Paul.) Aliam editionem non annotatam inveni. — In praef. ad Ludolphum Wetelinum dicit inter alia: „Satius est pueros pauca recte tradita memoriae tenaci mandare, quam supervacanea.“

davit, *de discipulorum officiis* composuit[47]). Quae scripta, ad Petrum Nehemium Drolshagium missa, hic deinde typis exscribenda curavit. Quid de hoc opusculo sive *Enchiridio scholasticorum* senserit Nehemius iudicari potest ex epistula, quam editioni praefiixit, ad Murmellium: „Legi," inquit, „non sine magna voluptate opuscula tua ad me missa, dulcissime Ioannes, quae cum omnia candidissimis adolescentium ingeniis utilissima futura existimo, tum maxime Enchiridion illud scholasticorum fructus commodaque, (qui bonis officiis optimisque institutionibus ad studia bonarum artium alliciendi sunt) continere perspexi; adeo mehercle! praeclara, ut vel inimico iudice probari possint. Quam ob rem ratus iniquum fore id domi tacitum reconditumque servare, quod studiosis omnibus ut utilissimum, ita et gratissimum futurum esset, statui (licet ob impressoris nimiam occupationem distulerim) omnibus studiosis impertire." Operae pretium erit librum paullo accuratius cognoscere.

Postquam liberorum diligentem honestamque educationem ante omnia parentibus curae esse debere demonstravit[48]), ad ea explicanda transit, quae studiis ipsis flagitari

---

[47]) Editio, cuius exemplar in bibl. Paul. asservatur, haec continet: „Opusculum Joan. Murmellii de discipulorum officiis, quod Enchiridion scholasticorum inscribitur.
Epistola seu volumen divi Hieronymi ad Nepotianum de clericorum officiis.
Herm. Buschii carmen sapphicum in urbem Ruremundensem.
Joann. Murmellii ode sapphica de duplice voluptate."
Impr. Zwollis in offic. Petr. Os de Breda s. a. 23 fol. 4. — Haec editio, quia praeter illud opusculum et epist. Hieronymi, quae se editurum pollicitus est Nehemius, etiam Buschii et Murmellii duo carmina, ab ipso Murmellio anno 1504 edita, (cf. annot. 40) complectitur, prima esse non videtur. — Enchiridion ex viginti quatuor capitibus constans Timanno Kemenero dedicatum est, cui amplissimam laudem attribuit, dicens inter alia: „Id (opusculum) qualequale est, tibi dedico, Timanne humanissime, qui doctrina non vulgari summaque rerum experientia praeditus auditores tuos cum probatis literarum praeceptis, tum sanctissimis morum regulis instituis atque componis." Postea, ut infra accuratius videbimus, inter hos viros altercatio orta est gravissima. Ante ortum certamen, non post compositum, opusculum illud scriptum esse mihi ex multis causis, quas quidem afferre longum est, verisimillimum videtur.

[48]) Minime vero communes et tritos locos volvens, quales sunt: „Parentibus liberorum saluti magis, quam pecudum consulendum est."

viderentur, capite secundo his verbis enumerata: „Studioso bonarum artium scholastico et in doctum hominem evasuro haec necessaria videntur: scientiae cupiditas, acumen ingenii, memoria tenax, bona valetudo, victus vestitusque mediocris facultas, opportunitas loci, temporis otium, animi tranquillitas, praeceptor probatissimus, librorum copia, studiosorum consuetudo, studii ordo modus perseverantia. „At difficillimum est," inquies, „universa illa consequi, quae partim fortuna, partim ipse homo, deus solus omnia praestare possit." Fateor equidem hoc arduum esse et longe difficillimum; ideoque doctos homines in omni saeculo perraros fuisse testor. Verum quamvis pauca desint, nemo ob id literarum studio se abdicet. „Et aliquo prodire sat est, si non datur ultra." Non omnes Aristoteles, aut Cicerones, aut Hieronymi Aureliive esse possumus, neque ea ingenii facultas, quae in Joanne Pico nuper fuit, omnibus contingit." Studium literarum pulchris verbis extollit: Scientiam ait pretiosissimum ac simul tutissimum thesaurum esse, quippe quem vel mille tyranni eripere non possent[49]). Ut eam sibi comparare studeant, pueros magnopere admonet: „Pueritia," inquit, „raptim fugit, sed puerilitas, nisi discimus, remanet."

Tum capite decimo septimo, probatissimum praeceptorem esse deligendum cum antea adhortatus esset, ex quibus rebus bonus magister cognosceretur, et quae essent eius officia, recenset. Quod inde de Murmellio ipso iure coniecturam facere possumus, huius capitis summam excerpam: „Bonus praeceptor et dignus, qui pueris docendis praecifiatur, sit singulari virtute et doctrina praeditus, cum a sermonis, tum maxime a morum barbarie alienus, studiorum humanitatis peritissimus; nec sciat modo ipse artes, verum etiam diligentia, modo et ratione optima in tradendis illis utatur. Caveat imprimis ne, ut plerique faciunt, supervacaneis rudimentorum grammatices praeceptis et diffusis variisque plurimorum vocabulorum circa Alexandri Galli usum interpretationibus discipulos declinet, qui multo commodius longeque

---

Sic sane satis verbose rem persecutus est, ut alios praeteream, Kerssenbrock in indice lectionum, quem supra commemoravi.

[49]) Cf. Murm. l. c. cap. 5.

maiori studiorum gratia, regulis grammaticis breviter transmissis, in bucolico Vergilii carmine vel comoedia aliqua Plauti seu Terenti, vel in epistolis dialogisve M. Tulli et verborum significatus ediscere et verae sinceraeque latinitati assuescere possunt. Quin potius ambitiosis utilia praeferat et, dum adhuc rudia tractat ingenia, non statim oneret infirmitatem discentium, sed temperet vires suas et ad intellectum audientium descendat. Sed non satis est, magistrum discipulos docere literas, nisi disciplinae severitate convenientium quorundam ad se mores astrinxerit. Sumet igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi tradantur, existimet. Ipse nec habeat vitia nec ferat. Non auctoritas eius tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus de honesto ac bono sermo sit; nam quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit. In laudandis pueris nec malignus nec effusus, quae res altera taedium laboris, altera securitatem parit; in emendandis, quae corrigenda erunt, non acerbus, minime contumeliosus sit. Nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic obiurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, immo multa quotidie dicat, quae secum audita referant. Vix dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus."

In sequentibus capitibus de discipulorum erga praeceptorem officiis, de librorum copia[50]), de utilitate cum doctis viris con-

---

[50]) Animadvertenda sunt ea in re verba: „Puer adhuc rudis nonnisi pauculos libros et eos quidem, si fieri potest, emendatissimos habeat nec solum impressis chartis assuescat, sed et ipse, quod postea maximo usui erit, literas graphice formare discat et mature, quaecumque a magistro dictantur, in libello ad manum prompto notare. Sic enim et orthographiam paulatim addiscet et quae ipse scripserit multo facilius recordabitur atque in memoria diutius tenebit. Cum vero iam multum in literis profecerit, paulatim consulto praeceptore magis idoneos sibi et probatos libros comparet." — Magno gaudio eum affecit ars typographica magis magisque propagari coepta; sed eidem dolori erant magna, quibus illa laborabat, vitia: „Felicissimi," inquit, „nos essemus hoc saeculo, quo novi artificii, quam chalcographiam vocant, beneficio tot ubique libri parvo pretio venales circumferuntur, si non fere omnes *mendis innumeris scaterent*. Sed nescio, qui malus daemon nobis tantae felicitatis invideat. In meliorem fortassis partem sic agitur, ne credulitas nostra libris nimium confidat."

suetudinis, de studiorum ordine et fine disputat. Studia interdum intermittenda, ut animus relaxetur, numquam vero omittenda esse, sed tamdiu nos discere oportere, quamdiu nesciamus, quamdiu vivamus, ut hac vita laboriosa peracta dulcissima quiete et immortali voluptate apud Deum in coelo perfruamur. Hoc etiam caput, in quo de ordine studiorum agitur, multa propria ac praeclara habet, unde vero et recto eum usum esse iudicio cognoscimus. „Ad literarum studium transituro grammaticae arti imprimis opera danda est, quae fons est et origo artium liberalium. Ad eius rudimenta perspicienda puer uni probato auctori assuescat: Perotto, Sulpitio, Guarino Veronensi, Mancinello aliive claro grammatico. Ubi iam ad syntaxin pervenerit, complures eiusdem constructionis oratiunculae sententia exemplove insignes et notabiles ex Plauto, Terentio, Cicerone, Vergilio, Ovidio, Salustio, Plinio Iuniore et reliquis praeclaris scriptoribus illi ante oculos ponantur et crebra repetitione memoriae quasi imprimantur. Postea cum ad poetarum enarrationem audiendam fuerit idoneus, illos praeceptor interpretetur, qui moribus pudicis non officiant, sed adolescentis animum humanitate non minus alant, quam latinitate instituant. Paullatim etiam ad dialectices studium, qua verum a falso secernimus, et ad reliquas disciplinas pergendum est. Sed in studendo semper ordo adhibendus erit, ne varii libri confuse legantur; sed singulis lectionibus dispertitas horas haberi oportet, quae una res plurimum prodest et ad librorum varietatem et ad rerum consummationem. Semper ad altiores scientias properet homo et a liberalibus disciplinis vel ad philosophiam, vel ad scientiam iuris, vel ad medicinae peritiam, vel maxime ad sacras literas maturo gradu contendat, nec *si ubique Tullianam elegantiam non deprehendat, ideo divina volumina abiiciat.*“ — Haec altius repetivi, ut qua usus sit studii ratione et disciplina magis eluceat.

Circiter annum 1506 Murmellius Elegiarum quatuor libros absolverat[51]), quos iusequenti anno typis exprimendos curavit.

Aestate anni 1506 ob pestilentiae et belli fugam, ut

---

[51]) Vide praef. Eclogarum ad H. Gockelen (cf. annot. 57.)

ipse dicit, Hammoniam se contulit, ubi per tres fere menses, partim in publico diversorio, partim in aedibus Hermanni Gockelen sacerdotis et scholae Hammonensis magistri commoratus est[52]). Ibi amicis[53]), quos sibi in hac urbe comparaverat, hortantibus duodecim carmina composuit, quae quatuor aliis deinde intersertis, licet bucolica non sint, secundum Plinii aliorumque auctoritatem *eclogae* inscripta initio anni 1507 in lucem edidit et Hermanno Gockelen dedicavit. Una cum his carmina in *salutationes angelicas* et *in florea Dei matris serta* composita ac fratribus communis vitae in urbe Monasterio dicata vulgavit[54]). Quorum carminum compluria simplicitate quadam lectoris animum alliciunt, ut paean in St. Virginem[55]) et aliqua ex parte etiam illae eclo-

---

[52]) cf. l. c.

[53]) In his amicis, ut ex eclogis intellegitur, erant ludi magistri: Ludolphus Heringius, Bernhardus Hammonensis, Hermannus Gockelen, Ludolphus Froynbe.

[54]) Hic liber rarissimus asservatur in bibl. Soc. hist. Monast. Titulus integer hic est:

„Joan. Murmellii Ruremundensis in salutationes angelicas optimae maximae virgini dicendas carmen hecatostichon cum hendecasyllabis.

Eiusdem in florea divae virginis dei matris serta paean triplex cum nonnullis aliis carminibus.

Liber aeglogarum eiusdem decem et sex carminibus constans variis et moralibus minimeque impudicis.“ Impr. s. l. et a.

Dedicationis carminum in Dei matrem compositorum inscriptio est: „Religiosis sacerdotibus ac clericis et ardenti charitate pietateque singulari coniunctis fratribus domus fontis salientis in clarissima urbe Monasteriensi I. Murmellius S. D.“ In fine legitur: Monast. 1507, XVI. Cal. Febr.

Dedicationis eclogarum libri titulus est: „Venerabili sacerdoti et peritissimo bonarum artium magistro iurisque consulto Hermanno Gockelen Hammonensi, Marcanae ecclesiae pastori dignissimo dominoque suo imprimis observando I. Murmellius S. D.“ In fine: Monast. 1507, XV Cal. Febr. — Ex quibus dedicationibus elucet, Hamelmannum et qui eum secuti sunt prorsus errasse, cum Murmellium eclogas anno 1504 scripsisse tradant. (Cf. Hamelm. l. c. p. 172; Foppens, bibl. Belg. p. 699.)

[55]) Praeclare in his precatur:

„Da mihi securo tranquillam pectore vitam,
Ut possim laudes saepe referre tuas;
Da mihi fallacis nugas contemnere mundi,
Ut possim nato rite placere tuo;

gae, quibus Hammoniam oppidum celebravit[56]). In universum vero eclogae perfectioribus eius carminibus annumerandae non sunt. Eas parum diligenter et, quod ipse in praefatione monuit, „tumultuarie" scriptas esse, qui eas accurate perlegerit, certe profitebitur[57]).

In hoc ipsum tempus, quo Hammoniae erat, carminis quoque Buschiani de *St. Virginis psalterio* olim compositi editio et Cypriani carminis *de ligno salutiferae crucis* cum Murmellii commentariis, ut opinor, incidit[58]).

Da mihi virtutem, qua vincam daemonis artes,
Ut merear superis te celebrare choris."

[56]) Cf. Eclog. III.: „In praeconium Hammonensis oppidi Marcanae gentis clari;" Eclog. X: „Ad praestantissimum liberalium artium magistrum et egregiam Christi sacerdotem Ludolphum Froynbe Hammonensem." (Priorem eclogam germanicis versibus vertit Tross in „Hamm'sches Wochenbl.", Jahrg. 1824 Nro. 28.)

[57]) Murm. ipse in praef. pergit: „Hoc unum silentio praeterire non possum, me postea ipsum saepe miratum esse, quod tum absolutis in hac Monasteriensi urbe quatuor elegiarum moralium libris ... carminum vel simulacra quaedam confingere potuerim."

[58]) Exemplar huius editionis rarissimae asservatur in bibl. Prof. Christ. Schlüter inscriptum:

„De saluberrimo fructuosissimoque divae Virginis psalterio triplex hecatostichon Herm. Buschii Monasteriensis cum quibusdam aliis carminibus:

Divi Cypriani martyris et episcopi de ligno salutiferae crucis carmen heroicum." Impr. s. l. et a. (sed fortasse Monasterii in offic. Joan. Limburg; vide infra.)

Hoc carmen Buschii a Murmellio editum esse nemo adhuc animadvertisse videtur. Quod elucet ex praefatione ad Ludolphum Heringium, Hammonensis scholae magistrum, quae Cypriani carmen praecedit; simul inde concludi posse videtur, Buschii et Cypriani carmina Murmellium tum cum Hammoniae esset edidisse. Dicit enim: „Rogavit me hesterno vesperi Joannes bibliopola (hic sine dubio Joannes Limburg typographus ille Monasteriensis est), communis noster amicus, ut sibi commodarem exemplar triplicis hecatostichi de floreo divae Virginis Mariae serto, quod Hermannus Buschius, felicis ingenii poeta, melicis olim versibus composuit, quo id aeneis typis excusum et in mille alia exemplaria propagatum ad suum ille commodum publicaret atque divenderet. Ego vero homini amico et rem honestissimam petenti non obtemperare non potui. Quin etiam ultro praeclarum divi Cypriani de ligno salutiferae crucis carmen addidi, *diligenter quondam a me emendatum* et nunc utcumque explicitum, quo a rudioribus quoque scholasticis intellegi possit. Id cogitanti,

Paullo post editum eclogarum librum perfectissima sua carmina, fructus complurium annorum[59]), in medium protulit, *elegiarum* scilicet *moralium libros quatuor*, quos Langio dilectissimo suo patrono sacros esse voluit[60]). Primam cuiusque libri elegiam Langio inscripsit, cui totum sese dederat, cuius de incredibili virtute ac pietate, eloquentia et optimarum artium peritia singulari silere melius putavit, quam parum dicere[61]). Quas res in his libris tractaverit, in dedicatione ipse indicavit his verbis: „Quum animum," inquit, meum tum scholasticis negotiis, tum gravioribus studiis districtum iucunda poetici cantus dulcedine relaxare niterer, profudi elegiaca quaedam subsicivis temporibus carmina, quae in quatuor libros digestim separavi, in quorum primo nostrae vitae illaetabilis attigi miserias, secundo humanae naturae dignitatem ac praestantiam utcumque extuli, tertio duodecim spiritualis pugnae arma ab Joanne Pico tradita memoravi, quarto denique de virtutibus ac bonorum fine cursim admonui. Dabitur aliquid meae iuventuti veniae, spero, cum ob multiiugas curas laboresque, quibus animus meus misere distrahitur, musis se totum vix unquam permittere possit." Et re vera! ex his carminibus virtutis poeticae ubertas et elegantis vis ingenii manifestissime elucet; ex his mentem etiam laetissimam et summo studii amore inflammatum animum cognoscimus. Quicumque eum beneficiis ornaverunt, hos grato animo ac pietatis pleno amplissimis verbis laudat naturamque amoenam miro artificio depinxit. Quare Buschius errasse non videtur, cum haec carmina veterum poematis adaequanda esse dicat[62]). Arrident nobis pleraque dul-

---

cuinam potissimum hunc subitarium laborem meum dedicarem, facile occurrebas, Ludolphe literatissime; nam ad veterem nostram amicitiam *quotidiana nunc accedit familiaritas et consuetudo dulcissima.*"

[59]) Cf. annot. 41 et 57.

[60]) „Joan. Murmellii Ruremundensis elegiarum moralium libri quatuor." Impr. 1508. 4. — Huius editionis, quae ex officina Henr. Quentell Coloniensis prodiisse videtur, exstat exemplar in bibl. Paul. Priorem editionem impr. Monast. 1507, 8 afferunt Hamelmann et Panzer. (Vide Hamelm. l. c. p. 122, Panz. l. c. X p. 531.) In fine dedicationis legitur: Monast. 1507 a. d. X. Cal. Maias.

[61]) Cf. dedic.

[62]) Cf. Hamelm. l. c. p. 122.

cedine non fucata, nativo quasi splendore, summa simplicitate; omnia vero prae se ferunt purum et sublimem auctoris animum. Quanto amore quantaque suavitate Ruremundae patriae laudes celebraverit, quae innocentes non vexet, contra tyrannos autem exsurgat, intellegitur ex elegia quadam ad Henricum Cellarium amicum, quae incipit elegantissimis versibus[63]):

„O nos felices, o nos, Henrice, beatos,
Quos hanc in lucem patria tanta dedit.
Hac utinam iuncti patria iungamur in illa,
Pax ubi certa, salus vera, perennis honor."

Huc etiam referri potest pulchra et ad permovendum animum apta elegia *de bello Geldriensium et Cliviensium*, ubi dolorem suum de discordia duarum fortissimarum gentium mollissimis versibus effudit[64]). Praeclarae ac suaves inter alias sunt elegiae ad Langium scriptae, imprimis quae est *de somnio Murmellii*[65]) et ea, quibus virtutis laudes dicit[66]), sic inter alia canens:

„Non aurum splendet, non est lux insita gemmis:
Cor sapiens fulget, mensque serena nitet."

Item suavitate simplici ac summa, quam spirat, pietate elegia de *cruce Christi* ad amicum Joannem Rutgerum Monasteriensem ex societate fratrum communis vitae scripta[67]) nos allicit et illa ad laudem Alberti Magni composita, quam praeceptori suo Arnoldo de Tungern dedicavit[68]).

Murmellius ipse virtutem suam poeticam, qualis in elegiis apparet, bene sensit. Hoc non minus ex epistulis ad Henricum Cellarium et ad Hermannum Gockelen[69]) concludi potest, quam eo intellegitur, quod postea saepe cum studio quodam et amore elegiarum mentionem fecit et versus ex iis protulit[70]); quid senserit denique optime ex ipsa

---

[63]) Eleg. moral. II. 15.
[64]) Eleg. moral. I. 9.
[65]) Eleg. moral. I. 1.
[66]) Eleg. moral. II. 1; IV 1.
[67]) Eleg. moral. III. 12.
[68]) Eleg. moral. II. 14.
[69]) Cf. annot. 41 et 57.
[70]) Cf. Comment. in Boethium (impr. Daventr. s. a.) fol. 31, 56, 70, 95.

itida et alacri ad Langium elegia „*quod poetarum fama sit immortalis*“ elucet[71]). Quamvis confidenter, quam modeste amen de se ipso canit:

„Quamquam sum pauper, quamquam de sanguine plebis,
Mansurum nomen spero, Rodolphe, meum.
Sunt pro divitiis mihi clara munera Phoebi,
Nobilitat famam Calliopea favens.
Quisquis amat Musas, longum sibi prorogat aevum:
Emoritur vulgus, morte poeta caret.“

Omnia senescere et interire, sed Musarum choro immortalitatem contingere deinceps proclamat:

„Nil brevius forma, fugit insincera voluptas,
Fortunae pereunt, maxima regna ruunt.
Dic, ubi pyramides nunc sunt, Memphitica tellus?
Dic, ubi sunt arces, Troia superba, tuae?
Occidit et Nireus et bello fortis Achilles:
Annis invictum nomen Homerus habet,
Nomen Homerus habet, quin impertitur et illis,
Defunctis vitam carmine restituit.
Quisquis amat Musas, longum sibi prorogat aevum:
Emoritur vulgus, morte poeta caret.
Vivit adhuc felix Ascraei carminis auctor,
Aonidas lauro quem decorasse ferunt.
Fama Sophoclei non est peritura cothurni;
Dum coelum stabit, clarus Aratus erit.
Pindaricae cantus citharae resonabit in aevum,
Battiaden morti non dabit ulla dies.
Dulcia iucundi vivent figmenta Menandri,
Asper erit blandae dum meretricis amor.
Nulla Syracusis veniet iactura Camenis
Laetaque pastorum iubila semper erunt.
Quisquis amat Musas, longum sibi prorogat aevum:
Emoritur vulgus, morte poeta caret.“

Haud ita multo post editionem elegiarum moralium famosa illa discordia inter Kemenerum et Murmellium orta esse videtur. Quo certamine non solum Murmellium commotum esse, ut scholam Cathedralem relinqueret eamque

---

[71]) Eleg. moral. III. 1.

firmissimo adminiculo privaret, sed etiam animum eius vehementer perturbatum et afflictum esse iure dolemus. Hamelmanno auctore contentio eo orta est, quod Murmellius Timanni compendium grammatices[72]), cum barbariae aliquid redoluisset, iocose dispendiums, nominasset[73]). Atque re vera in ecloga sexta, Hammoniae anno 1506 scripta, ubi de arrogantia et levis gloriolae cupiditate quorundam literatorum loquitur, haec verba invenimus:

„Hic compendia se dedisse credit,
Cum dispendia sint scholasticorum."

Minime Murmellium omni culpa in hoc certamine absolvere in animo habemus. Hic quoque certamine semel orto graviter in adversarium invexisse videtur; nam hoc tantum modo notabilem illam retractationem, qua postea usus est, intellegere possumus[74]). Neque inconstantiam probare possumus, qua librum quatuor annis ante valde ab eo laudatum et commendatum[75]) — quamvis tanta laude indignus esset — vel iocando depressit. Si vero paullo accuratius naturam Kemeneri et mores minime suaves spectaverimus, facile comprehendemus, quomodo Murmellius cum eo in certamen venire potuerit. Plurimi aestimamus ipsius dignitatem, gravitatem morum, rei scholasticae experientiam, quas virtutes cum omnes laudaverunt, tum haud facile quisquam magis ingenue suscepit praeclarioribusque verbis extulit, quam idem Murmellius[76]). Quid? quod in elegiis, quas duobus mensibus post eclogas illis versibus iniectis editas vulgavit, inter eos, qui „illustres sophiae fructus et munera spectant, virtu-

---

[72]) „Compendium aureum etymologiae et syntaxis grammatices pro duobus nepotibus equestris ordinis viri Joannis Dobbe etc." Impr. Daventr. in officina Jac. de Breda 1502. (Huius editionis, quae infra nobis commemoranda erit, exstat exemplar in bibl. Paul. s. Nro. d/77). Deinde hoc opusculum impressum est: Colon. 1504 et ibidem 1509 recognitum. (Cf. Niesert „Beiträge etc." p. 18 sq.)

[73]) Hamelm. l. c. p. 118.

[74]) Cf. annot. 101.

[75]) Ita enim se res habet, non ut omnes Hamelmannum secuti afferunt, eum tum demum, cum Timanno reconciliatus esset, opusculum interim correctum commendasse. Cf. annot. 82.

[76]) Cf. Ode sapph. in urb. Monast. str. 32 sq.; Opusc. de disc. offic. praef. (vide annot. 47.); Eleg. moral. II. 5, III. 1.

tes quaerunt, non peritura parant," Timannum numerat, gloriam Teutonici soli eum nominans. Iam ex eo, quod Kemenerus magnae laudis sibi a Murmellio saepe tributae immemor illam unam vituperationem, quam ad eum esse referendam expressis quidem verbis dictum non est, tam acerbe excipere potuit, veram eius naturam praecipimus. Ambitio immoderata ac vana sui praedicatio mores eius ceteroquin optimos deformant. Quae vitia, — ut iam Erhard[77]) recte admonuit, — ex praefatione compendii eius naturalis philosophiae[78]) apparent, in qua magna gloria, ne dicam mira impudentia, maximorum Langii nuper mortui meritorum ne verbo quidem mentione facta de suis tantum de schola Monasteriensi meritis loquitur, sibi ipsi vel electionem magistrorum ascribens, quamquam hoc imprimis Langio deberi inter omnes constat; in qua denique sua opera, quasi sola, quae tum in usum scholae scripta sint, effert praedicatque, cum libris utilibus editis imprimis Murmellius longe eum superarit. Talem vaniloquentiam non modo his locis reperimus, verum etiam in prioribus eius scriptis[79]). Sed tantae

---

[77]) Cf. Zeitschrift ect. l. c. p. 63; Rassmann l. c. p. 11; Parmet l. c. p. 77.

[78]) „Compendium naturalis philosophiae Timanni Cameneri Guernensis, in quinque volumina distributum ect." — Impr. Col. in offic. Petr. Quentell, 1521, 4 (Exstat in bibl. Paul.)

[79]) „Opusculum pulcerrimum et utilissimum de quatuor indeclinabilium orationis partium, quas syncategorematicas logici vocant, elegantia et significatione, quod non solum est necessarium ad orationes exornandas, verum etiam ad carmina et epistolas conficiendas." Impr. 1506, 4. (Exstat in bibl. Paul. s. Nro. d/73.) Liceat mihi ex praefatione huius opusculi hoc ipso anno, quo Murmellius illam eclogam scripsit, editi quaedam afferre, quae Murmellium quoque, ut suspicor, offenderunt et, ut illa iocosa verba mitteret, adduxerunt. Sic se iactare exorsus est: „Vobis adolescentulis meorum laborum monumenta, et medullam quatuor operum Alexandri Galli et compendium etymologiae reliqui. In quibus si plura sint vulgaria, ad instituendos veluti pueros tradita, tamen etiam plura occurrunt, quae doctissimorum aures respuere non debeant, siquidem ex illis lucide conspicient vocabulorum significationes proprias, difficilium vocabulorum interpretamenta, concinnam verborum compositionem, aptas vocum structuras, honestam latinitatem, syllabarum mensuras, rectam pronunciationem, figurarum grammaticarum modulationem et, ut semel finiam, universam grammatices rationem."

iactationi eius opuscula non respondere, vix operae pretium est ut admoneam. Eiusmodi arrogantiam, qua aliorum merita plane despiciebat, Murmellium, sinceri conatus studiique in literis propagandis collocati sibi conscium, ferre non potuisse facile comprehendimus; ne impunita esset, versibus supra allatis leviter eam perstrinxit. Apertam pugnam certe his verbis missis non quaesivit, quod, ut iam supra commemoravi, eo intellegitur, quod paullo post in elegiis Timanno pulcherrimam laudem tribuit. Sed illa verba tali viro, qualem Kemenerum cognovimus, contentionis movendae occasionem dare poterant. Fieri non potuit, quin se literarum scientia longe superari sentiret a Murmellio, qui scriptis suis summam ingenii non modo laudem, sed etiam omnium admirationem consecutus est. Quod si iam ubique periculosum et lubricum est, — quod vere et rectissime monuit Erhard[80]) — si conrector melior est, quam rector: Kemenerum eam rem aequo animo non tulisse, quis miretur?

Facile suspicaremur, si non ultro definite esset relatum[81]), Langium omnem operam dedisse, ut controversiam componeret, quod tempore procedente ei sine dubio successit[82]). Sed gaudium, quo usque ad hoc tempus scholae Cathedrali adiuvandae se dederat, valde hac controversia perturbatum videtur. Ipse Langius, quem ille patris loco colebat, impedire non potuit, ne conrectoris munere se abdicaret. Praeterea fortasse aliis etiam causis impulsus liberius munus campumque magis patentem cupiebat. Schola igitur, cui per octo fere annos praefuerat, relicta rector factus est scholae Ludgerianae in eadem urbe[83]). Quod autem ex schola Cathe-

---

[80]) Zeitschrift l. c. p. 46.

[81]) Cf. Hamelm. l. c. p. 118.

[82]) Cf. Hamelm. p. 118, 195. — His locis praeterea Hamelmannus dicit, Murmellium cum Timanno reconciliatum compendio eius interim correcto inscripsisse epigramma commendatorium, quae res a multis recepta nihilominus inconsideratis Hamelmanni et commenticiis adnumeranda nobis est. Nam quod laudat epigramma iam in editione anno 1502 parata (cf. annot. 72) invenimus.

[83]) Hamelmannus l. c. p. 172 ita dicit: „Fuit Monasterii per annos *undecim* conrector Timanni et per *triennium* rector scholae Ludgerianae; tandem anno *1514* venit Alcmariam.“ Eum igitur secutus Koenig scholam Cathedralem Murmellium anno 1511 reliquisse tradidit (l. c. p. 131).

drali excessit, illi iam per se magno damno fuit; praeterea sine dubio haud paucos discipulos secum duxit. — Sic uterque inimicitias aliquamdiu persecutus esse videtur. Licet in id omnes nervos contenderit Langius, ut hi viri reconciliarentur: concordia et gratia tum demum, ut opinor, redire coepit, cum discedens Monasterio Murmellius, quae in detrectandam Timanni laudem dixisset, revocabat, quod infra enarrabo. Restat, ut quae per hoc tempus scripserit Murmellius, demonstremus.

Eodem anno, quo elegias edidit, anno nempe 1507, *didascalicos libros duos* scripsit, in quibus artibus et liberalibus et quas vocant mechanicis, quae et qualia sint, constitutis explicatisque ad ingenuarum artium studia iuventutem gravibus verbis adhortatur. Quod scriptum tribus annis post e scrinio erutum ac recognitum prelo subiecit et praeceptori, quo in philosophicis studiis usus est Coloniae, Arnoldo de Tungern dedicavit[84]). Quam bene veram grammaticae notionem et vim conceperit, declarant haec verba[85]): „Si quis eo parvi faciat artem grammaticam, quod pueri eam discere

---

Sed iam Niesert recte admonuit, eum in carmine quodam protreptico, impr. Monast. 1509 (non 1510 ut ipse dicit; cf. annot 90) „se iam magistrum scholarum divi Ludgeri" nominare. (Niesert, Murm. lit. Verd. l. c. p. 30.) — Ex hac re, quod ex multis aliis intelleximus et intellegemus, perspicuum est, quam infida sit Hamelmanni chronologia vel maxime definite diserteque prolata. — Ipse autem annus 1509 primus fuisse videtur, quo rectoris munere fungebatur, et illud carmen quasi oratio aditialis. Nam ante annum 1508, quo Murmellius secundam elegiarum editionem parabat (cf. annot. 60), discordiam aperte quidem nondum erupisse mihi verisimillimum est; quod ni ita se haberet, magnas laudes Timanno in his elegiis tributas certe sustulisset Murmellius. — Eum per triennium scholae Ludgerianae praefuisse, hoc unum aliquatenus recte annotasse videtur Hamelmannus. Non enim anno 1514, ut ipse et postea omnes recentiores auctores tradunt, Alcmariam venit, sed ineunte iam anno 1513 (cf. annot. 102).

[84]) Editionis Coloniensis, quae sola esse videtur, integer titulus hic est: „Joan. Murmellii Ruremundensis didascalici libri duo, cunctis literarum et sapientiae studiosis utilissimi. In quorum altero agitur de artibus tum liberalibus, tum mechanicis, altero ad ingenuarum artium studia paraenesis continetur."
Impr. Colon. in offic. fil. Quentell 1510 m. Nov. 19 fol. 4. (In bibl. Paul.) De iis, quae supra dixi, cf. praef. ad Arnoldum Tungrum.

[85]) Cf. lib. I. cap. 7.

solent, multum fallitur; nam licet puerilibus studiis primum committatur, exactam tamen peritiam vix tandem senes assequuntur."

Insequenti anno, cum Ericus, dux Saxoniae Lauenburgensis, ad episcopatum principatumque suscipiendum solemni more cum fratribus Monasterium ingrederetur, gratulationem carmine compositam exhibuit, quam inscripsit *panegyricum*[86]). Num impressa sit elegia non traditum est; ceteroquin pulcherrima fuisse traditur.

Initio anni 1509 *Alcimi Aviti carminum* ad religionem spectantium *quatuor libros* edidit, in quibus de origine mundi, de originali peccato, de sententia Dei, de transitu maris rubri, deque virginitate agitur[87]).

Hoc fere tempore *electos ex poetis Tibullo, Propertio, Ovidio versus* in usum scholarum eum emisisse opinor[88]). Quae dicta collectanea titulo paullo mutato saepius postea edita vel initio decimi octavi saeculi in tam frequenti usu versabantur, ut Beniaminus Hederich in condendo lexico noto ante omnia ea respexerit[89]). —

---

[86]) Hoc memoriae tradunt Chytraeus et Arnold Bevergern (cf. Chytr. l. c. p. 177; Geschichtsq. d. Bisth. Münst. I. p. 299). Hic dicit: „Van em (Erich I.) heft Joannes Murmellius tho sinem lave eine schone elegiam geschreven, genant panegyricum".

[87]) Huic editioni, a nullo quod sciam animadversae, titulus est:

„Alcimi Aviti Viennensis episcopi poetae christianissimi libri quatuor ab Joan. Murmellio Ruremundensi recogniti et emendati." — Impr. Colon. in offic. Mart. de Werdena, 1509, feria sec. post festum St. Matthiae Apost. (In bibl. Paul.)

[88]) Editio rarissima in bibl. Paul. exstans, quae prima fuisse videtur, inscripta est:

„Ex elegiis Tibulli, Propertii et Ovidii ab Joanne Murmellio selecti versus." Impr. s. l. et. a. 23 fol. —

Et imagine indicis, cui nomen Jacobi de Breda inscriptum est, hanc editionem Daventriae paratam esse perspicitur. Panzeri notitiam ea editio effugit. — Eodem modo inscriptus liber prodiit Colon. ex offic. fil. Quentell, 1518, 4 (Panzer l. c. X p. 532). Inscriptus: „Loci communes sententiosorum versuum ex elegiis Tibulli, Propertii, Ovidii ab Joan. Murmellio diligenter collecti" editus est: Wittenbergae (Georg Rhau) 1533. 8 (Panz. l. c. X p. 94; Gessner, bibl. p. 398); Norimbergae (J. Petreus) 1536, 8 (Panz. l. c. X. p. 532). Praeterea August. Vindelic. 1564 (exstat in bibl. Paul.); Ultraiecti 1774 (Rassm. l. c. p. 17).

[89]) Cf. Erhard, Zeitschr. l. c. p. 62.

Auctumno anni 1509 *ad pietatis humanitatisque studia carmen protrepticon* composuit[90]), quo carmine rectoris in schola Ludgeriana munus eum esse auspicatum supra conieci[91]). Anno 1510 *epigrammata de magistri et discipulorum officiis* edidit, quae ad Philippum de Hoerde ecclesiae Monasteriensi praepositum misit[92]).

Hamelmanno auctore eodem anno *commentarios in Sylvam Angeli Politiani* scripsit, quos Hermanno Torrentino dedicavit[93]). Sub annum 1512 ex coniectura Niesertii[94]) eius *tabulae grammatices* [95]) et *adnotamentorum libellus* [96]) Monasterii prodierunt.

---

[90]) Impr. Monast. in offic. Laur. Bornemann, 1509, postridie Severini episc. Haec, quantum scimus, sola editio est.

[91]) Cf. annot. 83.

[92]) Quorum epigrammatum exemplar mihi inspicere non contigit. Erat olim in bibl. Prof. Christ. Schlüter, e cuius manibus casu quodam nuper elapsum est. — Murmellius ipse quem supra posui titulum affert in Scop. fol. 4 b et duo ex iis elegantia sane epigrammata subiicit. Hamelmanno teste „epigrammata ad Philippum de Hoerde", quae sine dubio haec sunt, Monasterii 1510 prodierunt. — Aliam eiusdem anni editionem Coloniae paratam annotant Panzer l. c. X. p. 531; Rassmann l. c. p. 16 (omisso vero vocabulo „epigrammata").

[93]) Hamelm. l. c. p. 172. Murmellius ipse quoque commentariorum mentionem fecit in Scop. (fol. 12b). Hamelmannus ceteroquin rem male exprimit, dicens: „Scripsit commentaria in Rusticum Angeli Politiani; scripsit quoque commentaria in Sylvam Politiani anno 10 Monasterii, dedicata Hermanno Torrentino." Nam Sylva Politiani et Rusticus prorsus idem carmen est. — In bibl. Paul. exstat exemplar editionis Murmellianae, quae textum tantum exhibet, inscriptae:

„Angeli Politiani Sylva, cui titulus Rusticus in poetarum Hesiodi Vergiliique georgicon enarratione pronunciata." Impr. 1519 s. l. 12 fol. Commentarius in hoc Politiani carmen hodie perquam rarus esse videtur inventu. Iam Ottoni Menkenio, ut verbis eius utar, non ita felici esse licuit, ut venerit in huius notitiam (J. Fr. Ottonis Menkenii historia vitae Angeli Politiani p. 573).

[94]) Cf. Beiträge z. Buchdruckergesch. Münst. p. 17. — Perrara esse videntur haec scripta.

[95]) Tabulae grammatices editae sunt Monasterii, Coloniae, Parisiis (Chr. Wechel) (cf. Hamelm. l. c. p. 172; cf. etiam p. 102); inscriptae „grammaticae regulae quibusdam a J. Bugenhagio additis" (nam inter haec scripta nihil interesse puto) s. l. et. a. 4 (cf. Panzer l. c. IX p. 186 Rassm. l. c. p. 16).

[96]) Adnotamentorum libelli, impr. Monast. (Greg. Os de Breda) s.

In id tempus incidit confectio opusculi in scholis illius aetatis usitatissimi, quod inscripsit *Pappam puerorum*. Insunt in hoc libro index verborum, quae maxime in usu sunt, latinae enunciationes, breves sermones narratiunculaeque collectae. Editiones duae anno 1513 Coloniae paratae, quas Panzer annotavit, sine dubio primae sunt. Nam in satisfactione, quam ad Timannum anno 1513 scripsit, Murmellius se illius nominis in libello quodam, qui nunc Coloniae typis aeneis excuderetur, honorifice mentionem esse facturum pollicitus est. Hic vero libellus est eadem Pappa[97]). Ex multis editionibus diversis Germaniae, Hollandiae, Helvetiae locis paratis ac saepe exiguo temporis spatio interiecto repetitis intellegi potest, quam utilis ad scholarum usum haec Pappa iudicata sit. Quatuordecim editiones inter vix quinquaginta annos effectas afferre possumus[98]). Neque tamen dubitamus, quin numerus earum multo maior fuerit, cum iam ex his quatuordecim sex, quas ipsi inspeximus, Panzerum,

---

a. 4 mentionem fecit Panzer (l. c. VII p. 423). — Bibl. Paul. olim huius editionis exemplar teste catalogo continebatur.

97) Cf. annot. inseq.

98) Editionum, quae mihi oblatae sunt, veterrimae asservatur exemplar in bibl. Soc. hist. Monast., impr. Colon. in offic. fil. Quentell 1515 28 fol. 4. In fine legitur: „Pappa iam quarto revisa diligenterque castigata“ (editio Panzero ignota est). In plag. 20 honorifica Timanni commemoratio invenitur. Duo discipuli, ex quibus alter recens advenerat, ita loquentes inducuntur:

„Quem ludum literarium frequentabis? nam hac in urbe tres sunt.
„„Parentes mihi iusserunt, ut tradam me in disciplinam ei magistro, qui et literis me bene erudiat et bonis moribus me recte instituat.“ “
„Timannus ludi magister non doctrinae solum sed severitatis etiam et vitiorum castigationis vulgo laudatur.
Praeceptor discipulis suis indulgens pecuniae gratia est diaboli mancipium et corruptor iuventutis.“

In bibl. Paul. quinque sunt editiones, eaedem Panzero ignotae: Basiliensis (Adam Petr. de Langendorf) 1517, 4; duo Colonienses: altera impr. 1520, 4 (Henr. Novesien), altera, a discipulo Murmellii Joan. Gymnico parata, 1560, 4; Argentorat. 1521, 4, Antwerpiensis (J. Loëus 1550. 4. — Praeterea auctore Panzero Pappa edita est: Coloniae (Quentell) 1513, 4; ibidem (Mart. de Werdena) 1513, 4 (Panzer l. c. X. p. 531); Lubecae (Steph. Arndes) 1515, 4; Lipsiae (Valent. Schumann) 1517, 4; Daventr.

virum in colligendis monumentis typographicis omni laude dignum praeterierint. Quid? quod iam duobus vix annis post primam editionem Pappa iam quarto retractata est.

Tempore, quo Monasterii erat, etiam scripsisse videtur *commentarios in Prudentium*, quos ceteroquin ignotos Murmellius ipse et Hamelmannus commemorant[99]). Missi sunt, ut Hamelmannus alio loco annotat[100]), hi commentarii, quos simul doctissimos appellat, ad amicum Joannem Rutgerum, domus fratrum in urbe Monasterio antistitem.

Murmellius interim tres fere annos scholae Ludgerianae praefuerat. Illam eo rectore effloruisse ac crevisse, ut non sine gloria Cathedralem aemularetur, iure colligi posse videtur. Fortasse inde ab orta illa contentione Monasterii non iam tranquillus erat. Decessit ex urbe, cuius gloria decusque ille per multos annos fuit, Alcmariae, oppido in Hollandia septentrionali sito, rectoris munus suscepturus. Priusquam vero amicis et toti urbi supremum vale dicturus esset, Timanni, quocum complures annos discordaverat, animum sibi reconciliare statuit. Scripsit ad eum anno 1513 a. d. VI Cal. April. epistulam, qua, quidquid superioribus annis in eum peccasset, ut sibi ignosceret orabat[101]). Eodem anno 1513

(Albert Pafraet) 1519, 4, bis eodem anno (cf. Panzer l. c. VI p. 488 IX p. 454); Lipsiae (Valent. Schumann) 1520, 4; Coloniae 1521, 4 (Panzer l. c. X p. 531).

[99]) Cf. Murm. Scop. fol. 12 b; Hamelm. l. c. p. 172.

[100]) Cf. l. c. p. 177.

[101]) Epistula in fine Scoparii post mortem Murmellii, anno 1518, editi invenitur atque inde una cum prooemio, sine dubio, quo magis intellegeretur, ab editore Murmellianae epistulae praemisso, a Niesertio et Rassmanno exscripta est (cf. Westphalia, 1825 p. 42; Rassm. l. c. p. 16). Murmellii verba haec sunt:

„Oratum te velim, Timanne humanissime, ut quidquid superioribus annis in te tuamque famam tum verbis tum factis rectae rationis oblitus peccaverim, id omne ob Dei amorem mihi condones. In libello quodam, qui nunc Agrippinensi Coloniae typis aeneis excuditur, honorifice tui nominis memini et posthac Deo adiuvante meminero, quoquo etiam terrarum me contulero.“

Vale VI Cal. Apr. 1513.

Hamelmannus, cum post mortem Murmellii edita esset, multos eam

et quidem, ut opinor, continuo post datam hanc epistulam se contulit Alcmariam[102]).

IV.

„Quamquam sum pauper, quamquam de sanguine plebis,
Mansurum nomen spero, Rodolphe, meum."
Murmellius ad Rudolphum de Langen.

De vita Murmellii ab hoc tempore perpauca tantum nobis tradita sunt et vel haec ipsa ex parte falsa. Sic Hamelmannus[1]) et omnes recentiores auctores sine dubio erraverunt Murmellium iam anno 1516 Alcmariam reliquisse et Daventriam venisse tradentes. Nam usque quidem ad mensem Martium anni 1517 eum Alcmariae versatum esse ex scriptis eius luculenter demonstrare possumus[2]). Gloria vero,

---

epistulam in dubium vocare dicit (l. c. p. 118). Nequaquam dubito, quin a Murmellio scripta sit, quoniam animo eius ac rebus optime respondet. Sed tamen non possumus non mirari, quod eam quinque annis post in Scopario vulgatam reperimus. Nescio, an errem: opinor equidem huius epistulae evulgandae Timannum non esse expertem. Intellegebat cum Murmellii scriptis etiam quae in se scripsisset in dies magis provulgari. Vir de sua fama tantopere anxius et sollicitus, qualem Timannum cognovimus, quo modo melius efficaciusque providere poterat, ne quid hoc modo de gloria sua detraheretur, quam inserenda scripto Murmellii hac epistula?

[102]) Certe huius anni mense Septembri Alcmariae iam fuit, ut ex praefatione Isagoges in decem Aristot. praedicamenta (cf. infra) elucet, scripta Alcmariae 1513. Id. Sept. Hoc nemo adhuc animadvertit, sed omnes recentiores auctores Hamelmannum secuti anno 1514 Alcmariam eum venisse tradunt. — Praeterea Hamelmannus ipse, ut saepe ei accidit, miro modo sibi contradicit, nunc tredecim (cf. l. c. p. 171), nunc quatuordecim annos (cf. l. c. p. 275) Murmellium fuisse Monasterii tradens, quo advenisset anno 1498 (cf. l. c. p. 267). Alio loco (cf. p. 128), ubi per annos duodecim eum Monasterii bonas literas professum esse dicit, rectius sensit.

[1]) Hamelm. l. c. p. 172.

[2]) cf. annot. 17.

quam Monasterii scriptis et iuventutis optima institutione adeptus erat, eum in Hollandiam quoque subsecuta est. Scholam eius quodam tempore circiter nongenti discipuli frequentasse feruntur[3]), qui vel ex Pommeràniae regionibus ad eum audiendum confluebant[4]). Omnes viri docti, qui tunc in Westphalia et postea in inferiore Germania erant, in eum oculos convertebant, eum observanter propter eximiam coluerunt eruditionem. Maiores animo vix cogitare possumus laudes, quam quae ab Ioanne Suavenio, Vicedomino Caminae, oppido in Pommerania sito, Murmellio tributae sunt. Qui in epistula anno 1514 ad eum missa[5]) ita scripsit: „Equidem sic existimo neque Pythagoram illum Samium maius lumen potuisse afferre Siciliae, quam tu Germaniae nostrae attuleris, neque Socratem illum, qui primus ethicen de coelo traxisse dicitur, perfectiorem egisse virum, quam tu sustineas, neque divinum Platonem ex sua Academia eruditiores misisse, quam tu e ludo tuo miseris, neque ex Lyceo Aristotelis acutiores prodisse, quam ex tua diatriba processerint, neque Isocratem elegantius docuisse, quam tu doceas, neque ad Theophrasti officinam frequentiorem concursum fuisse, quam hactenus ad tuum ludum fuerit. Quid multis? Tu nobis Aristarchus, tu Carneades, tu Demosthenes, tu Archimedes futurus es: felicior Marco Tullio, qui ab Athenis eloquentiam Romam transtulisse fertur.“ Admirantes summam venerationem, qua ille vir Murmellium prosecutus est, tantamque amicitiam, quantam non potest nisi sanctissimarum rerum communio in hominibus efficere, libenti animo haec verba magnifica ac superlata illi, vel potius aetati illius condonemus.

Indefessum Murmellii studium inter varios labores, quos

---

[3]) Cf. epist. a senatu urbis Alcmariae ad Murmellium data (apud Boomkamp, Alkmaar en zyne Geschiedenissen, p. 366, Paquot, Mémoires litter. T. XIII. p. 180).

[4]) Ad eum anno 1514 I. Suavenius Pommeranus filium ex fratre misit, fortasse illum Petrum Suavenium, qui cum Mosellano postea graecarum literarum professor erat Lipsiae (cf. epist. ad Murm., quam infra laudabo; Hamelm. l. c. p. 104).

[5]) Epistula, Scopario inserta, inscripta est: „Ioann. Suavenius doctor et vicedominus Caminensis Ioann. Murmellio Alcmariensi gymnasiarchae S. P. D.“ — In fine legitur: „Vale, Stettini 1514 a. d. IV. Non. Sept.“

rectoris officia requirere solent, non conquievit; quin immo praestantissima ingenii monumenta in hoc ipsum tempus incidunt, commentarios dico in Bœthium et Persium. Sed iam ad singula nos vertamus.

Primo anno, quo Alcmariae erat, *Isagogen in decem Aristotelis praedicamenta* scripsit[6]). Tum eodem anno *Mantuani carmen bucolicum*, quod Paulo Ruremundensi dicavit, eum edidisse opinor[7]).

Nescio an praeterea hoc anno carmina composuerit, quae inscripta sunt *epistolae morales*[8]). Si ex paucis, quae nobis legere contigerunt, de ceteris coniecturam facere liceat, pulchras has epistulas censeamus optimisque eius carminibus annumeremus. Et praeclaris verbis et pio gratoque animo Langium benefactorem, alterum quasi patrem, epistula prima

---

[6]) Editionem originalem nusquam annotatam inveni. Panzer has affert editiones: Lips. 1535, 8; Paris. (Prigent. Calvarin.) 1535, 8 (Panz. l. c. VII p. 230, VIII p. 190). — In bibl. Paul. exstat hoc scriptum una cum Caesarii dialectica, impr. Colon. (Petr. Horst) 1559, 21 fol. 8. In fine praefationis legitur: „Alcmariae, Phrisiorum oppido studiis liberalibus sane quam accommodato. 1513 Id. Sept.“

[7]) Editio, cuius exemplar in bibl. Paul. s. Nr. d/79 asservatur, impr. Daventr. (Theodor. de Borne) 1513, Non. Sept., prima esse videtur. Altera praeterea ibi exstat, impr. Daventr. (Alb. Pafraet) 1525, 4. (Panzerum hic liber plane effugit.) Utriusque titulus est:

„Fratris Baptistae Mantuani Carmelitae carmen Bucolicum cum argumentis in singulas eglogas cum adnotamentis Ioann. Murmellii.“

In fine epistulae ad Paulum Ruremundensem, in qua adnotamenta quae vocat inveniuntur, dicit: „Haec habui, quibus tibi ad quaestiunculas oblatas responderem. Cum plus otii nactus fuero (Deo aspirante), plura ultro sum additurus, quibus nunc supersedeo *ob curas molestissimas, quibus hac tempestate animus meus distinetur.*

[8]) Quamvis satis curiose inquirerem, haec carmina in manus meas non pervenerunt. Ex bibl. Prof. Christ. Schlüter, qua diu continebantur, sicut „epigrammata ad Philippum de Hoerde,“ nuper ablata sunt. Prima epistula ad Langium evulgata est per Erhardium (Zeitschrift etc. p. 68). Eo auctore integer titulus hic est:

„Ioan. Murmellii Ruremundensis epistolarum moralium liber, Alcmariae peramoeno Hollandiae oppido compositus. Famigeratorum aliquot Germaniae virorum epistolae non illiteratae cum nonnullis carminibus.“ — Impr. Daventr. (Alb. Pafraet), XII Cal. Oct. 17. fol. 4. (Panzero epistulae hae ignotae sunt.)

prosecutus est, ex qua simul cognoscimus, quam gravis ei fuerit ab hoc viro digressus. Doloris medicinam ait a literis solis sese petere:

„Conficerer senio, Langi, doctissime vatum,
Et coqueret pectus noxia cura meum,
Ut tua discedens istinc iucunda reliqui
Colloquia et frugis verba referta bonae:
Ni mea Pierio relevarem taedia cantu,
Arguto fallens tristia corda sono."

Ineunte anno 1514 tandem in lucem misit *commentarios in Boethii de consolatione philosophiae librum*[9]), amplum et clarum opus, ad quod conscribendum haud dubie iam tum, cum Monasteri erat, multa collegerat. Cognoscimus enim ex Langii epistulis ad eum datis, quas supra commemoravi-

---

[9]) Editionis huius rarissimae et sine dubio primae exemplar asservatur in bibl. Sem. Cleric. Episc. Monast. inscriptae:

„Severini Boethii de philosophiae consolatione libri quinque cum Ioan. Murmellii commentariis Alcmariae (quod Hollandiae oppidum est liberalibus studiis clarum) editis usui studiosorum. — Insunt in hoc opere graeca, quae in provulgatis hactenus exemplaribus desiderantur ect. Venumdantur Daventriae in aedibus Alberti Pafraet." (s. a. 118 fol. 4.)

Epistulae ad Langium annus ascriptus est 1514 a. d. III. Non. April. Ante mortem Murmellii (1517) altera editio prodiit Coloniae ex officina Quentell, de qua in ultimo suo opere, Scopario, (impr. Colon. 1518, fol. 12 b) ille dicit: „Scripsi commentarios in Boethium, qui Daventriae non satis diligenter impressus fuit (sine dubio editionem, quam supra commemoravi, denotat), sed Coloniae per I. Caesarium et Ortwinum Gratium integritati diligentissime restitutus est." — Tum commentarii editi sunt Colon. (Cervicornus) 1535 (Gessner l. c. p. 441, Harzheim l. c. p. 189, 165). Gessnerus, ut hic admoneam, aliquatenus recte dixit: „Commentarii partim sunt Rodolphi Agricolae" et Hamelmannus, qui eum errasse refert (l. c. p. 171), „quia essent Rodolphi Langii" ipse sine controversia in errorem incidit, neque ulla excusatione dignus est. Si opusculum quamvis leviter inspexisset, hoc quidem modo Gessnerum minime corrigere tentasset. Nam usque ad fol. XXXI Murmellius Agricolae annotationes in commentarium suum recepit, proposito quidem singulis auctoris nomine, ne quid gloriae, ut ipse dicit, sibi credulus lector ex alieno tribueret labore, neve candidissimae margaritae diutius in sua dactyliotheca sine honore delitescerent. (Cf. fol. 12.) Sed cave ne putes eum Agricolae interpretationibus, quamvis eas „margaritas" nominet, temere assensum esse. (Cf. fol. 22 b, 28 a.) De Langii de hoc opere meritis cf. Parmet l. c. p. 128.

mus, iam anno 1501 in Boethio enarrando eum fuisse occupatum. Si in ullis aliis scriptis, certe his in Boethium commentariis et, quos infra nominabo, in Persium subtilem iudicem, doctum antiquitatis aestimatorem, perfectum philologum se praebet. At vero, quia haec opera et imprimis commentarii in Boethium hodie rarissimi sunt, plerumque viri docti satis iam habent Murmellium interpretibus annumerare, interpretationes ipsas omnino ignorantes.

Ineunte anno 1515 librum ad rem grammaticam pertinentem de latinorum et graecorum nominum verborumque declinationibus edidit, qui inscriptus est *Nuclei*[10]). Quinquaginta vel annis post hic liber discipulis proponi solebat.

Eodem anno in laudem Caroli Geldriae ducis vario metrorum genere carmina composuit, quae ab eo, quem ad virtutem et pacis amorem incitare studuit, *Charoleia* inscripsit[11]). Non lucri captandi causa, ut vulgus poetarum facere soleret, se canere professus est:

„Nulla mihi petit hic labor emolumenta; lucello

---

[10]) „Nuclei Ioan. Murmellii Ruremundensis de latinorum et graecorum nominum verborumque magis difficilium declinationibus, studiosae iuventuti perutiles summeque necessarii. Adiecta sunt praeterea ad calcem moralia quaedam et latinae multa dicendi formulae etc". Impr. Colon. in offic. fil. Quentell 1515 a. d. XI Kal. April. 4 (Panzer VI p. 324).

Tum liber impressus est: Daventr. (Alb. Pafraet) 1520. 4. (Panzer VI p. 488); Colon. in offic. Gymnici (Foppens, bibl. Belg. p. 700; annum non addidit). Exemplar denique editionis Colon. 1566 impressae exstat in bibl. Paul. (Panzero ignota est haec editio.) In fine praefationis legitur: „Alcmariae, a. d. VII Id. Ian." Hanc praefationem anno 1515 scriptam esse, ita ut editio Coloniae parata, quam supra commemoravimus, prima fuerit, verisimillimum mihi est.

[11]) Impr. Lovanii (Theod. Martin) 1515. 4 (Panzer l. c. X p. 531). Bibl. Paul. exemplar editionis continet fortasse eodem anno paratae, cui titulus est:

„Ad illustrissimum principem Charolem Archiducem Austriae, ducem Burgundiae etc. varia Ioan. Murmellii Ruremundensis carmina, quibus titulus Charoleia." 12 fol. 4. (Verba, quae in fine leguntur: „Theodoricus Alustensis Lovanii imprimebat," referenda sunt ad ultimum tantum carmen anno 1515, Kal. Febr., cum ad principatum suscipiendum Carolus Lovanium ingrederetur, editum.) — Praefatio libri scripta est Alcmariae, 1515 VIII Kal. Maias.

Dedecet Aonias prostituisse deas.
Castae Pierides nolunt prostare, nec umquam
Quaestibus invigilant, lucra nec ulla petunt."

Ut prodesset, ut ad virtutis studium adhortaretur principem, animum ad hos versus scribendos se appulisse:

„Saepe libri suadent ea, quae non ausit amicus
Dicere, nec fari sit potis ore suo."

Laudat tum Carolum propter liberalium artium studia, propter bona corporis, propter multitudinem et amplitudinem regnorum. Lepida sane Caroli nominis etymologia est:

„Gratia totus, ὅλος χάρις, hinc tibi nomen,
Dulcius Hyblaeo, rex generose, favo."

Invitat deinde poetas, ut hunc optimum principem celebrent, et imprimis sese convertit ad Langium:

„Primus ades, Langi pater o venerande Rodolphe;
Cana senecta tuum ne remoretur iter.
Emeritus quamquam vates, precor, hunc tamen ornes
Tergemina tantum nobilitate chorum.
Utere censuris et acuta corrige lima
Carmina iudicio subiicienda tuo."

Principem ipsum sic inter alia hortatur:

„Sis pius imprimis et toto pectore, tota
Dilige mente Deum, cuius pendere memento
Omnia ab arbitrio, et venerando numine regna;
Sollicitus fac sis populorum pastor et omnem
Assidue vertas in publica commoda curam."

Non multo post commentarios in Boethium editos conscripsisse videtur *artis versificatoriae rudimenta*, quae puerilium studiorum ratione habita ex Diomede, Manutio, Sulpitio aliisque grammaticis collegerat, et *libellum de hymnis ecclesiasticis*, in quibus auctores recenset, qui hymnos composuerunt, Rudolpho de Langen imprimis magnam laudem tribuens[12]).

Quae in his rudimentis breviter tantummodo perstrin-

---

[12]) Quorum scriptorum rarissimum exemplar in bibl. Paul. s. Nro. d/73 exstat, impr. s. l. et. a., 8 fol. (Typi Quentelliani esse videntur.) In fol. VIIa mentionem facit commentariorum in Boethium; itaque post annum 1514 librum scripsit. Anno 1519 impr. est Daventr. (Iac. de Breda). Cf. Panz. l. c. VI p. 487.

xerat et attigerat, accuratius deinde *tabulis in artis componendorum versuum rudimenta* persecutus est, quae secundum Pappam illis temporibus in scholis maximo opere lectitabantur[13]). Agitur in iis de literarum distributione, de divisione syllabarum, de primae, mediae, ultimae syllabae quantitate cognoscenda, de versibus hexametris, pentametris eorumque varia specie, de versibus aliquot lyricis. Quid? quod Eobanum Hessum in has tabulas commentarios scribere non puduit.

Circiter idem tempus, mea quidem sententia aestate anni 1516, *commentarios in Persii satiras* composuit[14]). Non facile erremus, si ad has satiras enarrandas ac recensendas pleraque iam eo tempore, quo Monasterii versabatur, eum

---

[13]) Cave ne simili titulo commotus hunc librum cum priore confundas. — Impressus est: Antwerp. 1519. 4 (Panz. IX p. 344); Lips. (Valent. Schumann) 1519. 4 (Panzer VII p. 210); Daventr. (Alb. Pafraet) 1520. 4 (Panzer IX p. 454); Daventr. 1521. 4 (Panz. VI 488); Paris. (Chr. Wechel) 1530. 8 (Panz. VIII p. 138, Hamelm. p. 171, Foppens p. 700); Paris. (I. Parvus) 1531. 8 (Panz. VIII p. 143); Marpurgi (Fr. Rhodius) 1533. 8 (Panz. IX. p. 531); Paris. (Sim. Colin) 1534 (Panz. VIII p. 176, Foppens l. c.); Francf. (I. Eichhorn) s. a. 8 (Panz. VII p. 58); Norimbergae (cum Eob. Hessii commentariis) 1552 (Foppens l. c.). — Unde Rassmann (l. c. p. 16) coniecerit, librum Monasterii 1512 — 14 iam editum esse, nescio. Eum post Caroleia carmina scripsit, quia ex iis complures versus attulit (cf. fol. 15 editionis, quam nominabo). — In bibl. Paul. exstat exemplar huius editionis Colon. 1566 paratae, 24 fol. 4.

[14]) In praefatione Alcmariae a. d. XVI Kal. Nov. ad Alradum Amstelsodamensem scripta legitur: „Remitto tibi enarratiunculas in Persium satyrographum, subcisivis, ut aiunt, horis *hac aestate* praeter alia quaedam compositas.“ Quia editio Daventr. 1516. 4 parata (cf. Ebert, bibliogr. Lexicon, II. p 343) prima esse videtur, eum aestatem anni 1516 intellegi voluisse suspicor. Cuius editionis titulus hic est:

„A. Persii Flacci satyrae complusculis, quibus scatebant, mendis repurgatae cum ecphrasi et scholiis Ioan. Murmellii Ruremundensis.“

Eodem modo inscriptus liber editus est: Colon. (Quentell) 1517, m. Sept. 40 fol. 4 (in bibl. Paul.); Argentorati (Knoblauch) 1517. 4 (Ebert l. c.). Cum Buschii epistula impressus est: Colon. (Cervicornus) 1522, m. Aug. 4; ibidem 1525. 8; Magdeb. (Melch. Lotther) 1537. 8 (Ebert l. c.); Paris. (Ch. Wechel) 1531. 4 (in bibl. Paul.); ibidem 1538. 4; ibidem 1546. 8; Colon. (I. Gymnicus) 1538. 8; Antwerp. (Aeg. Diest) 1546. 8 (Ebert. l. c). — Panzer etiam hoc scriptum Murmellii non cognovisse videtur.

collegisse putemus. Ubi sine dubio Buschii, docti et intellegentis Persii aestimatoris, quotidiano usu consuetudineque studium et amor huius poetae excitatum in eo et auctum est[15]). Ad illum postea quoque, ut epistulae horum virorum inter se datae testantur, se convertit petens, ut coniecturas, quas in Persii satiris fecisset, secum communicaret. Quanti ille aestimaverit praestantis ingenii vim ac perfectam doctrinam Murmellii ex epistula Buschii ad eum missa, quae primae satirae explicationem continet, perspicimus: „Poenitet profecto!" inquit, „temeritatis, quod novo hoc modo contra te, Rosci literate, in scenam prodire non extimuerim." Atque sane ex his commentariis imprimis elucet, quam peritus artis criticae fuerit, quam bene intellexerit et subtiliter aestimaverit poetam illum elegantem eundemque obscurissimum. Hodieque Persius non nominatur, quin Murmellii nominis mentio fiat. Sed tamen hoc loco nobis repetendum est, quod supra de commentariis eius in Boethium diximus: parum viros doctos huius interpretis rationem habere solere. Longum est, hoc loco interiora commentariorum Murmellii videre, quam quidem rem nobis in aliud tempus reservemus.

Hamelmanno auctore eodem anno 1516 *laudem de Reuchlino* scripsit[16]).

Librorum ab eo Alcmariae perfectorum, quantum inveniri potest, supremum hieme anni 1516 usque ad mensem Martium anni 1517 elucubravit. Haec sunt quae ad rem grammaticam pertinent *tabularum opuscula tria*[17]). De hoc

---

[15]) Buschium constat initio illius saeculi aliquantum temporis Monasterii versatum esse ibique magna cum gloria et admiratione scholas habuisse. Cf. Liessem l. c. p. 27.

[16]) Hamelm. l. c. p. 172. Cf. etiam Sweert., Athen. Belg. p. 454.

[17]) Editionem primam nusquam annotatam inveni. Perrarae editionis et a nullo commemoratae, quae per I. Gymnicum parata et I. Horlenio dedicata Coloniae in offic. Euchar. Cervicorni 1518 m. Febr. impressa est, asservatur in bibl. Paul. s. Nr. d/77 exemplar. Titulus integer hic est:

„Ioan. Murmellii Ruremundensis tabularum opuscula tria, pueris utilissima. In primis agitur de cognoscendis generibus nominum, in alteris de nominum declinationibus, de nominibus anomalis, de comparatione nominum; in extremis de verborum praeteritis et supinis, de anomalis et defectivis verbis, de speciebus verborum."

opere dicit Hamelmannus[18]): „Tanti fecit Murmellium Hermannus Tulichius[19]), vir in duabus universitatibus ex praelectionibus clarus, ut ex omnibus aliis grammaticis huius unius tabulas mira brevitate et perspicuitate conscriptas de re grammatica suae tantum iuventuti praelegi voluerit. Nec piguit etiam Petrum Godefridum Remeum ista tabularum opuscula in epitomen redigere."

Ex epistula huic scripto praemissa comperimus Murmellium tum in eo libro componendo occupatum fuisse, qui inscriptus est *Scoparius*[20]). In hoc opusculo, virorum doctorum sententiis de humanitatis studiis quae vocantur prolatis, qui libri et commentarii vitandi sint, quique studiosis bonarum artium maxime conducant exposuit, addens praeter vulgatam grammaticorum sententiam locos quosdam ex Vergilii, Horatii, Ciceronis scriptis explicatos[21]). In indice commentariorum a se scriptos affert, quorum nusquam alibi mentio facta est, commentarios in *Martianum Capellam* et in *Catonem Maiorem*[22]). — Ut absolvam scriptorum Murmellii indicem

---

In praefatione ad Herm. Stuvium, quae *Alcmariae 1517, Non. Martiis* scripta est, legitur: „Dico tibi tabulas meas, quas *hac bruma* ad adiuvanda puerorum pro viribus ingenioli mei studia concinnavi." — Praeterea opuscula edita sunt: Daventr. (Alb. Pafraet) 1521 m. Febr. 4 (Panz. IX p. 454); in epitomen redacta per Godofr. Remeum Lugduni, 1542 (Hamelm. p. 171).

[18]) l. c. p. 104.

[19]) Ille Murmellii discipulus fuit. Cf. Hamelm. p. 123.

[20]) „Parturio praeterea scoparium (placet enim hic inditus libello titulus), armis instructum multiiugis in pervicaces istos Alexandri cuiusdam grammaticuli propugnatores, qui meo iudicio similes illorum videntur, quos tradunt olim sylvestri glande, quam repertis a Cerere frugibus pasci maluisse."

[21]) Scoparius impressus est: Colon. in offic. fil. Quentell, 1518. 4. 25 fol. (in bibl. Paul.); ibidem 1528 (Panzer VI 403). Titulus hic est:

„Scoparius Ioan. Murmellii in barbariae propugnatores et osores humanitatis ex diversis illustrium virorum scriptis ad iuvanda politioris literaturae studia comparatus."

Sequuntur ex Plauti Sticho desumpta verba haec:

„Mundities volo fieri hic; ferte scopas simulque arundinem, ut operam omnem aranearum perdam et texturam improbam, deiiciamque earum telas."

[22]) Cf. Scop. fol. 12 b.

etiam subiicienda mihi sunt: *clausulae memorales ex Iuvenale* et *protrepticon poenitentium* ab Hamelmanno partim et Graessio commemorata[23]), quae quo tempore scripta sint, omnino incertum est.

Res adversae Murmellii supremos dies vexasse videntur. Ingenti incendio ad paupertatem redactus, ut Hamelmannus[24]) tradidit, Daventriam confugit, ubi eodem anno 1517 a. d. VI Non. Oct. nondum quadraginta annos natus e vita laboriosa excessit, misella uxore et pupillo filio in egestate relictis[25]). De morte eius haec ad Langium scripsit Buschius[26]): „Rumor constans manavit, insinuasse illi se specie humanitatis duos quosdam, nebulones potius quam scholasticos, ignotos, sponte an alterius dolo incertum, eique vinum donasse, quo cum illis epoto postea Murmellium continuo in eam incidisse valetudinem, unde et paucis post diebus decesserit[27])."

---

[23]) Hamelm. l. c. p. 172; Graesse, „trésor des livres rares" s. v. Murmel.

[24]) Hamelm. l. c. Sed non anno 1516 Daventriam venit, sed post mensem Martium anni 1517. (Cf. annot. 17).

[25]) „Reliquit in paupertate, *ut scholasticum hoc genus solet,* uxorem cum filio", dicit Melchior Adamus in vita Murmellii breviter exposita.

[26]) Cf. Buschii epicedion in mortem Murmellii et Burckhard, „de vita Buschii" p. 101.

[27]) De hac suspicione cf. Gerh. Noviomagus in vita Murm. (invenitur inter alia haec vita in Pappa, impr. Colon. 1560, p. 5); Foppens l. c.; Niesert, „Murm. lit. Verd." l. c. p. 31.

Corrigenda:

Pag. 5 not. 2 lin. 5 pro eodem lege eadem.
„ 17 „ 13 „ amorum lege armorum.

Vitia minora typographi neglegentia orta lector ipse corrigere velit.

Monasterii.
Ex typographia E. C. Brunn.

PA 8555 .M6 .R39 C.1
De Ioannis Murmelii vita et sc
Stanford University Libraries
3 6105 035 763 809

PA
8555
.M6.

DATE DUE

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIE
STANFORD, CALIFORNIA
94305